

13.004

Le Comte de Segur et Thivierge

2 min. 2 9^{me} 9^{me}
Gauthier gall
Gauthier
Gauthier
Puylaurens

ResPln 13.004

COMPENDIVM LOGICÆ.

Cx IN Libris

VSVM STVDIOSÆ
IUVENTUTIS.

gaillard

AU TORE phisi

ELIA RAMONDOW.

M. PHILOSOPHIÆ PROFESSORE

IN ACADEMIA PODIOLAVRVM

translata, & ejusdem Academiæ

Rectore.


Don de M.  Camblong pasteur
à Pariquena  le 8 Nov. 1888.

PODIOLAVRI,

Apud PETRVM BERTIERVM , Academiæ
Typographum, anno 1666.

Cum Approbatione & Facultate.





PRÆFATIO.

 **E**GERE est apud Magnum Philosophiae genium Aristotelens lib. i. Metaphys. cap. i. Hæc verba apprimè notanda nūtæc cū-
θρωποι τε ἐνέργεια ὅρεγοιται φύσει. i. e. Omnes ho-
mines a natura scire desiderant: quibus ver-
bis perspicuè docet nobis insitum esse a natura
scientiarum amorem. Si vero scientiarum
amantissimi sumus, quanto quæso, amore prose-
qui debemus Logicam, quæ scientia est, in
scientia quæ omnes alias lumine suo illustrat,
quandoquidem nos docet in alijs scientijs defi-
nire dexterè, iuste partiri, aptè connectere,
vnum ex alio legitimè colligere, acutè dispu-
tare, solide occurrere, constanter concludere,
prudenter iudicare, & verum sensum eruere,

vnde dicta fuit scientiarum sol, clavis scientiarum, scientiarum ianuaqua apertâ aperiuntur scientiae, & qua clausa clauduntur, scientiarum ianitrix & genitrix, scientia scientiarum: quisquis es igitur qui habes in animo medicinæ scientiam assequi, sedulam dare debes operam Logicæ, cuius præsidio munitus, morbos dignoscere & de morborum causis reete differere valebis. Si desideres in summum euadere iurisperitum, Logicam acquire studio acri & diligent, nam sine Logica neque causas cum laude orabis, neque clientes tuos, vt, decet tueberis neque iudicibus satis te probabis: contrà verò Logicæ destitutus modò tecum pugnabis, modò omnia confundes modo tarde obiectionibus satisficies: porrò scupias sacro sanctam Theologiam scientiarum dominam obtinere, ancillæ scilicet Logicæ prius seruias oportet: sine qua neque pia dogmata propugnare, neque falsa expugnare, neque contra malè sentientes feliciter depugnare poteris. Logicam igitur amabis, & in hoc Logicæ Compendio legendo atque meditando dies noctesque

P R A E F A T I O .

collocabis: in quo compendio nomen, definitio-
nem, & finem Logice, ens rationis, primas &
secundas notiones, tanquam præludia ad Logi-
cam, sauente Deo, considerabimus, & poste à
compendium hoc Logice iuxta triplicem men-
tis nostræ operationem, in tres partes diuide-
mus: quarum prima erit de termino simplici
qui facit ad directionem primæ operationis
mentis, secunda ager de termino complexo siue
de enunciatione quæ inseruit ad dirigendam
secundam mentis operationem, in tertia & ul-
tima parte loquemur de termino discursu si-
ue de argumentatione, quæ tertiam dirigit no-
stræ mentis operationem.





APPROBATIO.

NOS infrà scripti omnibus notum facimus D. ELIAM RAMONDOV, nobis perlegendum & examinandum tradidisse hoc *Compendium Logicæ*: in quo nihil inuenimus, quod pijs moribus, vel Articulis Fidei aduersetur. Datum Podiolauri die vltima mensis Martis 1666.

BONAFOSSIUS Minister.
MARTELLVS Minister.

FACULTAS.

EGO Procurator Regius in vrbe Podio-laurenſi, Compendium hoc Logicæ, Typis mandari impertior. Actum Podiolauri die 4. mensis Aprilis. 1666.

M A V S Y Procurator Regius.

COMPENDIVM
L O G I C Æ.
 IN
V S V M S T V D I O S Æ
 IVVENTVTIS.

CAPVT I.

De nomine, definitione & fine Logicae.



V A N D O Q V I D E M turpe est
 & planè indecorum profiteri
 artem vel scientiam, cuius no-
 men ignoramus: idcirkò exor-
 dium ducemus a consideratione nominis
 quo designatur hæc scientia, de qua nobis
 incumbit agendum.

A 4

Nomen igitur Logicæ tres habet affectiones, quas breuiter & dilucidè perpendemus: quarum prima est homonymia, secunda est æquipollentia, tertia & ultima est Etymologia.

Quoad eius homonymiam, sciendum est nomen Logicæ aliquando significare potentiam naturalem ratiocinandi omnibus hominibus a natura insitam, aliquando verò significare habitum qui intellectum nostrum determinat ad bene & facile ratiocinandum: illa potentia naturalis ratiocinandi dicitur Logica *naturalis* habitus verò qui nos docet bene & facile ratiocinari, vocatur Logica *artificialis* vel melius *habitualis*, prima Logica est ipse met intellectus, secunda utpote scientia est in intellectu: hic agimus de Logica habituali, non verò de naturali.

Quoad æquipollentiam vocis Logicæ tenendum est, hanc scientiam duobus præcipue gaudere nominibus, nam sæpe Logica, & aliquando dialectica vocatur,

quæ nomina idem sonant, quamvis de cætero nomen dialecticæ (quod à verbo Græco διαλεγεσθαι id est differere ortum habet) propriè significet partem topicam tantum, ubi de probabilibus: sed ex usu qui iam inualuit, vniuersam Logicam designat.

Quoad Etymologiam vocabuli Logice sciendum est illud nomen deriuari ανδρος λόγος id est à sermone, sermo autem est duplex, unus *mentalis*, alter *vocalis*, unus *internus*, alter *externus*, unus *mente conceptus*, alter *ore prolatus*: prior nihil est aliud quam *conceptus mentis*, posterior vero est vox humana, per priorem homo cum seipso loquitur, per posteriorem alios alloquitur: nomen Logicæ igitur deducitur ab illa voce græca quatenus significat utrumque sermonem, sed præcipue quatenus significat sermonem internum & mentalem, quia Logica intendit primariò & per se dirigere sermonem mentalem sive operationes mentis, intendit vero secundariò &

per accidens dirigere sermonem extero-
num & vocalem scilicet quatenus contin-
git sermoni **externo** ut sit signum interni
& mentalis.

Considerata definitione nominali Lo-
gicæ , consideranda venit eius definitio
realis: Logica igitur habitualis (de qua
agitur) bene definitur, *scientia practica en-
tis rationis directiū mentis*, *ut verum à fal-
so distinguitur*: In qua definitione tria no-
bis sunt distinctè examinanda, 1º. Genus
Logicæ , quod est *scientia practica* , 2º.
Eius differentia essentialis , siue eius obie-
ctum formale & adæquatum , quod est *ens*
rationis quā directiū mentis , 3º. Finis
Logicæ , qui est *ut verum à falso distin-
guatur*.

Scientia practica est genus proximum
Logicæ , ut confirmatur ratione sequenti,
quod est aptum prædicari proximè in
quid de Logicæ & morali Philosophia,
tamenquam de pluribus specie differenti-
bus, est earum genus proximum , atqui

scientia practica est apta prædicari proximè in quid de Logica & morali Philosophia tamquam de pluribus specie differētibus, Ergo scientia practica est earum genus proximum: maior per se patet, minor etiam patebit ex dicendis, nam si quæratur quid est proximè Logica? Benè respondebitur est scientia practica, quærenti etiam quid est proximè moralis Philosophia, benè respondebitur, est scientia practica; Præterea Logica & moralis Philosophia differunt specie, quia distinguntur per differentias specificas, siue per obiecta formalia & adæquata, circa quæ versantur.

Ens rationis quâ directuum mentis est obiectum formale & adæquatum Logicæ, ac proinde est differentia specifica Logicæ, constituens essentialiter Logicam, & eam distinguens essentialiter ab alijs.

Finis Logicæ est *ut verum à falso distingatur*, siue est *directio mentis*. Finis autem continetur in definitione Logicæ, quia

Logica est scientia practica, scientiae autem practicæ differunt a speculatiis ratione finis vltimi, nam finis vltimus scientiae speculatiæ est sola contemplatio obiecti, finis vltimus vero scientiae practicæ est opus vel operatio. Hanc veritatem docet Philosophus libri 2. Metaph. cap. 1º. His verbis τῆς ἐπισθητῆς θεωρητικῆς τὸ πέλος ἡ αἰδήθεια τῆς δὲ πραξητῆς τὸ ἔργον i. e. scientiae speculatiæ finis est veritas siue cognitio veritatis, practicæ vero est opus.



CAPVT II.

De ente rationis quid sit & quotuplex.

IN capite superiori diximus ens rationis directium mentis, esse obiectum Logicæ, quarè ut nobis clarius pateat Logicæ natura, de ente rationis fusiùs agemus, & in hunc finem.

Nota 1º. Quæstionem non institui de

existentia entis rationis , sed de eius essen-
tia, natura, vel definitione, quandoquidem
quæstio quid, non petit existentiam rei,
sed essentiam.

Nota 2º. Ens rationis sumptum in
communi, esse *id omne quod dependet à ra-*
tione: iuxta hanc descriptionem omnes ha-
bitus mentis, species intelligibiles , opera-
tiones siue intellectus, siue voluntatis, actus
imperati qui exercentur à corpore , imò
rēs artefactæ sunt entia rationis quia sunt
entia quæ dependent à ratione.

Ens rationis descriptum ut suprà: diui-
ditur in *subiectuum, effectuum, & obiectuum.* Ens rationis subiectuum est *illud*
quod dependet à ratione subiectuè, siue
tamquam accidens à suo subiecto inhæ-
sionis: quo sensu habitus mentis debent
dici entia rationis , quia rationi tamquam
suo subiecto inhærent. Ens rationis effe-
ctuum est *illud quod dependet à ratione*
effectuè, siue tamquam effectus à sua cau-
ta efficienti, tale ens rationis est conceptus

mentis, qui à mente producitur. Ens rationis obiectuum est illud quod depenaet à ratione obiectuè & est tantum quando intellectus cogitat de illo, quale ens rationis est v.g. genereitas à qua animal denominatur genus, dicitur obiectuum quia non habet aliud esse præter obiectuum in intellectu, & tādiu tantum est quandiu objicitur intellectui, vel obiectuum dicitur quia conuenit enti reali, quatenus ens reale objicitur menti nostræ v.g. esse genus conuenit animali quatenus animal objicitur menti nostræ, & concipitur unum aptum inesse multis specie differentibus &c. Ens rationis subiectuum impropiè dicitur ens rationis, est verò propriè ens reale, quia existit intellectu non cogitante de illo v.g. Habitus scientiæ existit in intellectu Petri, etiamsi intellectus Petri non cogitet de ipso habitu scientiæ quem possidet. Ens rationis effectuum, est etiam propriè ens reale, quippe existit intellectu non cogitante de ipso v.g. conceptus quo intel-

Ie^ctus Petri concipit naturam humanam existit, et si Petrus non cogitet de proprio suo conceptu siue non cogitet se conceper^e, sicut videt parietem, etiam si non cogitet de ipsa visione patietis. Ens rationis verò obiectuum, est propriè ens rationis quia existit tantum quando intellectus cogitat de illo, Ens rationis quod consideratur à Logica est ens rationis obiectuum.

Ens rationis obiectuum, subdividitur in *fictum* & *fundatum*: fictum est illud quod dependet à ratione obiectuè, & nullum habet in re fundamentum, quale est v. g. Chymera. Ens rationis fundatum est illud quod dependet à ratione obiectuè, & aliquod habet fundamentum in re: ut genus, quando prædicatur de animali. Ens rationis (de quo Logica) est fundatum non fictum.

Ens rationis fundatum diuiditur adhuc in *Grammaticum*, *Rheticum*, & *Logicum*. Grammaticum inseruit ad congruitatem sermonis vocalis ut casus, Rhetori-

cum facit ad ornatum orationis, ut metonymia, Logicum vero ordinatur ad dirigendam mentem nostram ut genus. Ex predictis ultrò collendum sequitur, ens rationis obiectuum, fundatum & Logicum obiectum esse Logicæ.

CAP V T O III.

De prima & secunda notione.

CERTISSIMUM est, ens rationis, secundam notionem, vel intentionem idem significare apud Philosophos, idcirco postquam egimus de ente rationis, statim agimus de secunda notione, vel intentione, quæ cum ente rationis idem sonat, quia vero secunda notio supponit necessariò primam, de prima & secunda loquemur.

Dicimus igitur 1º. Notionem & intentionem idem significare, quia ut fiat notio

notio alicuius obiecti, opus est intentione intellectus in illud obiectum, Barbari dicunt, necessaria est intellectui *Tendentia* in obiectum, v. g. ut concipiatur turris quæ est in media vrbe, mens mea tendere debet ad turrim.

Dicimus 2°. Notionem intellectus esse duplificem, unam *formalem*, alteram *obiectuam*: notio formalis est *conceptus obiecti*, notio obiectua est *objecatum conceptus intellectus nostri*: verbi g. conceptus quo concipio Petrum est notio formalis, Petrus vero qui concipitur est notio obiectua, notio formalis est duplex una prima, altera, secunda: notio formalis prima est *conceptus primus intellectus nostri*, v. g. conceptus quo primo concipio Petrum est notio formalis prima, notio formalis secunda est *secundus conceptus intellectus nostri*, qualis est conceptus quo postquam concepi Petrum, concipio animal esse Petro. Hæc autem notio vocatur *formalis*, quia est forma accidentalis in mente,

ipsam mentem perficiens vel informans.

Notio obiectiva est etiam duplex, una *prima*, altera *secunda*, notio obiectiva prima est *objec̄tum primæ notionis formalis*, siue primi conceptus intellectus, qualis est Petrus in exemplo supra allato: notio obiectiva secunda est *objec̄tum secundæ notionis formalis*, siue secundi conceptus intellectus nostri, qualis notio obiectiva secunda est animal in exemplo superiori.

Dicimus 3º. Et ultimò notionem formalem, siue primam, siue secundam, esse semper ens reale, quia utraque est conceptus intellectus, omnis autem conceptus intellectus nostri est propriè ens reale (ut supra) notio obiectiva prima est etiam semper ens reale, quia est ens per se intelligibile, notio verò obiectiva secunda, aliquando est ens reale, & aliquando ens rationis, unde patet quod quando Philosophi dicunt ens rationis & secundam notionem idem significare, intelligenda sit notio obiectiva secunda tantum.



PARS PRIMA
COMPENDII
LOGICÆ,
VBI AGITVR DE TERMINO
simplici intellectus humani.

CAPVT I.

Quis sit terminus simplex, & quotplex.



OGICA diuiditur in tres Partes : in prima loquemur de termino simplici , scilicet de vniuersalibus, singularibus & prædicamentis : in secunda de termino complexo, scilicet de enunciatione , vel

propositione, in tertia & ultima de termino discursuo, siue de argumentatione, aut syllogismo discurremus.

Logicam igitur breuitè explicaturi in hoc Compendio, ordimur à consideratione huius primæ partis, in qua pertractanda, ut legitimè procedamus, videbimus, Deo volente, primò quid sit terminus, & quid sit terminus simplex, secundò quotuplex sit, & tertio qualis sit quā via, tandem deueniemus ad consideranda vniuersalia, singularia, & prædicamenta.

Terminus potest considerari duobus modis vel relatè ad propositionem, vel relatè ad cognitionem nostram: sumptus sub priori notione definitur ab Aristotele lib. i. Priorum Analy. cap. i. His verbis ὅς εν καλῷ εἰς ὃν θαλύταιη περίτασις, id est.

Terminum voco illum in quem resoluitur *propositio*. Vnde patet subiectum & prædicatum esse terminos propositionis, quia in ea resoluitur propositio, vel terminus est extremum propositionis vnde colligitur.

mus primò subiectum, & attributum esse terminos propositionis quippe sunt eius extrema, subiectum est vnum extremum tanquam principium propositionis, attributum est alterum extremum, tanquam eius finis, ut primum, & ultimum punctum sunt extrema in linea. Colligimus secundò copulam verbalem est, quando habet vim copulae tantum non esse terminum propositionis, quia non est aliquod extremum in propositione, sed est in medio extreborum, utpote eorum copula vel unio: quando verò habet vim copulae, & attributi simul est vnum extremum in propositione, ut *Deus est* quæ propositio valet istam *Deus est existens*. Terminus acceptus sub posteriori notione potest describi obiectum terminans cognitionem intellectus nostri, & ita terminus simplex est obiectum simplex terminans cognitionem intellectus nostri, ut homo quando cognoscitur a nobis per simplicem apprehensionem.

Terminus autem simplex est duplex

vetus categorematicus alter syncategorematicus : categorematicus est ille qui per se solum significat aliquid certum & determinatum, ut nomen vel verbum, verbi gratia, homo &c. Syncategorematicus est ille qui per se solum non significat aliquid certum & determinatum, sed cum alio termino qui subintelligitur vel exprimitur aliquid certum designat, ut istae particulæ omnis, nullius &c. Terminus simplex categorematicus est obiectum huius primæ partis Logicæ.

Terminus simplex categorematicus (de quo Logica) est triplex scilicet in vniuersale, in singulare, vel individuum & in prædicamentum, vniuersale est verbi gratia, homo: singulare est verbi gratia Petrus, prædicamentum est, verbi gratia dispositio substantiae corporis viuentis &c. De quibus omnibus sigillatim ediscemus, sed priusquam ultius progrediamur videbimus paucis qualis sit terminus vel quantum sint eius proprietates.



CAPVT. II.

Qualis sit terminus, vel quænam sint eius proprietates.

EXAMINAVIMVS quid sit & quotu-
plex terminus simplex, nunc videbi-
mus qualis sit, vel quænam sint eius pro-
prietates.

Inter termini proprietates præcipuum
locum occupare *suppositionem* supponi-
mus: Idcirkò ab eâ ordimur.

Suppositio est acceptio termini pro se ipso,
vel pro re quam significat. 1°. Est acceptio,
id est, positio, vel substitutio. 2°. Addi-
tur termini, id est, vocis quæ reperitur in
oratione. 3°: Subiungitur pro se ipso, id
est, pro se ipso quatenus est vox vel no-
men &c. Ut quando dico homo constat
duabus syllabis, id est, vox hominis, con-
flatur ex duabus syllabis. 4°. Et vñimò
adjicitur vel pro re quam significat quia

Tæpè sumitur pro re significata, vt quando dico sol est lucidus, id est, res significata per nomen tolis est lucida.

Suppositio diuiditur in materialem, & formalem: materialis est acceptio vocis pro se ipsa: vt quando dico homo est nomen, id est, vox hominis est nomen, hæc suppositio vocatur *materialis* quia terminus supponitur pro materia, scilicet pro voce quæ est materia nominis, & verbi. Suppositio formalis est *acceptio termini pro re quam significat* vt cum dico homo est animal: nam sensus est rem significatam per nomen hominis esse animal, & ita vox hominis sumitur pro re quam significat, ista suppositio dicitur *formalis*, quia terminus accipitur in sua significatione, quæ est eius forma.

Suppositio formalis subdiuiditur in *propriam, & impro priam* prior est quando terminus sumitur pro re quam propriè significat vt in ista propositione homo est animal, nam vox hominis ponitur pro re quam

propriè significat, impropria est quando
terminus sumitur pro re quam impropriè signi-
ficas ut in ista propositione agnus dei tol-
lit peccata mundi , vbi vox ista agnus Dei
ponitur pro Christo, quem impropriè &
metaphorice significat.

Suppositio formalis & propria diuidi-
tur adhuc in *vniuersalem*, & *personalem*, vel
singularem: prior est quando vox sumitur
pro re considerata vniuersaliter : vt homo
est animal , nam & homo in communi, &
omnis homo in singulari est animal. Per-
sonalis, vel singularis est quando vox su-
mitur pro re considerata singulariter, vt
quando dico homo ambulat , vbi vox ho-
minis ponitur pro aliquo singulari homi-
num qui ambulat.

Restrictio est alia termini proprietas &
est coarctatio termini *vniuersalis* a maiori si-
gnificatione ad minorem, vt dum dico omnis
homo electus saluabitur , ibi vox electus
restringit significationem vocis hominis,
sine qua restrictione istæ voces *omnis homo*

complectentur omnes omnino homines.

*Diminutio est additio alicuius vocis per quam sit ut terminus absolutè positus sumatur secundum quid, ut quando formo istam propositionem, Aetius est albus secundum dentes, ubi illa particula secundum dentes diminuit significationem vocabuli *albus* sunt aliæ terminorum proprietates a quibus ut potè exigui momentu pertractandis ultrò supercedemus.*



CAPVT III.

Quid sit & quotuplex vniuersale.

SVPRA diximus terminum simplicem categorematicum esse triplicem scilicet vniuersale, singulare, & prædicamentum quare de vniuersali. 1º. nobis est agendum.

In pertractando vniuersali duò videbimus, 1º. Quid sit considerantes nomen

vniuersalis, & rem significatam per nomen & 2º. Quotuplex sit, tradentes eius diuisionem.

In nomine vniuersalis duo nobis occurunt perpendenda, nimirum homonymia, & eius etymologia: quoad homonymiam sciendum est aliquid dici vniuersale multis modis, vel in *causando*, vel in *significando*, vel in *repræsentando*, vel in *essendo*, & in *prædicando*: vniuersale in causando est, *causa indifferens ad producendos effectus diuersi generis*, vel *diuersæ speciei* ut sol; vniuersale in significando est *nomen significans rem vniuersalem* ut vox hominis, vniuersale in repræsentando est *imago vel idea rei vniuersalis*, qualis est conceptus, quo concipio animal, vniuersale in essendo est *vnum aptum inesse multis*, vt homo qui est aptus in esse Petro, Paulo &c. Et vniuersale in prædicando, est *vnum aptum prædicari de multis*, vt idem homo, quantum est aptus prædicari de Petro & Paulo &c. Hic agitur de vniuersali in essendo vel in prædicando.

Quoad etymologiam vocis vniuersalis, obseruandum est eam deduci ab istis vocibus scilicet ab uno versus ad alia, quare dicitur vniuersale, quasi dices unum versus alia; patet igitur ex ipsâ etymologiâ nominis, vniuersale esse unum respiciens multa.

Vniuersale in essendo (de quo agimus in hoc capite) definitur a Philosopho modo a priori & per causam, modo à posteriori & per proprietatem, definitur à priori & per causam formalem lib. I. Metaph. cap 13°. ὁ πλειών υπάρχειν πίστις id est quod est aptum natum in esse multis. Definitur à posteriori lib. de Interpretatione cap. I. ὁ ἐπὶ πλειών πίστις κατεχομένη id est quod est aptum natum prædicari de multis : ubi vniuersale (ut satis patet) modò definitur per aptitudinem inessendi multis, tanquam per suam causam formalem, modò per aptitudinem prædicandi de multis tanquam per suam proprietatem quarto modo, in prædictis definitionibus notan-

dum est primò vniuertale definiri per ap-
titudinem inessendi multis, non verò per
actum inessendi multis, vt sciamus actum
inessendi multis non esse de essentia vni-
uersalis, sed potentiam inessendi tantum,
ita vt res sit vniuersalis modò possit esse in
multis quamuis de cætero non sit actu in
multis, notandum est 2°. Vniuersale dici
aptum natum, vt res vniuersalis distingua-
tur ab ipso nomine vniuersalis, nam no-
men vniuersalis est quidem aptum prædi-
cari de multis, sed non a suâ naturâ, habet
potiùs a voluntate humana, vt possit dici
de multis, verbi gratia, nomen hominis
dicitur de Petro & Paulo &c. Quia pla-
cuit hominibus hoc nomine designare
animal rationale, res verò vniuersalis ni-
mirùm animal rationale, a natura sua inest
pluribus, scilicet Petro & Paulo &c. Et
a naturâ habet vt possit prædicari de illis.

Vniuersale definitur a nobis *vnum ap-*
tum inesse multis vniuocè & diuisim; 1°. *Est*
vnum unitate rationis vel abstractionis,

non reali, quæ vñitas rationis non est singularis, vel numerica, quæ soli individuo conuenit, sed est vñitas vniuersalis, quæ potest definiri *indivisio rei in inferiora eiusdem nominis*, & eiusdem naturæ coniuncta cum aptitudine ad diuisiōnem in eadem inferiora: vñitas autem vniuersalis est genera, vel specifica; 2°. Dicitur *aptum* vt sciamus essentiam vniuersalis consistere in potentia essendi in multis, non vero in actu incessandi multis (vt iam supra vidimus) 3°. Additur *inesse multis*, vt distinguantur à singulari quod est quidem vnum aptum subesse multis scilicet generi, & speciei &c. Sed non est aptum inesse multis, quia sub singulari non sunt alia singularia in quibus possit esse. 4°. Dixi *vniuocē* vt intelligamus terminum æquiuocum, vel analogum, non posse esse propriè vniuersalem, quia æquiuocus prædicatur æquiuocē, analogus analogicē, neuter vero prædicatur vniuocē, prædicari autem vniuocē est prædicari de inferioribus secundum

idem nomen, eandem definitionem & eodem modo, ita ut non prædicetur magis de uno quam de alio, vel prius de uno quam de alio. Postremò dixi *diuisim* id est (cum sui diuisione & multiplicatione, vel saltem cum sui diuisibilitate & multiplicabilitate) ut excludatur natura Diuina, quæ est quidem una apta inesse multis personis vniuocè, sed non diuisim, nam nec est diuisa numero, nec diuisibilis numero, nec est numero multiplex, nec est numero multiplicabilis, vnde Deus dicitur de qualibet persona, in singulari, & etiam de omnibus personis simul sumptis, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus, & etiam dici debet, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt Deus, non verò sunt Dij: in quo, natura Diuina maximè differt ab humana, quæ dicitur de una persona, in singulari, ut Petrus est homo, sed de pluribus personis coniunctim sumptis, prædicatur in plurali, ut Petrus & Paulus sunt homines, quare vniuersale debet esse mul-

triplex vel saltēm multiplicabile.

Vniuersale & prædicabile non differunt re, sed ratione, nam vna & eadem res est vniuersalis, & prædicabilis sub diuersa ratione, verbi gratia, item homo est vniuersalis, quatenus concipitur unus aptus inesse multis, & est prædicabilis, quatenus concipitur unus aptus praedicari de multis, quare differunt formaliter: quandoquidem definitio vniuersalis est *vnum aptum inesse multis*; definitio vero prædicabilis est *vnum aptum praedicari de multis*.

Vniuersale sumptum in genere, est duplex tantum, scilicet *essentiale vel accidentale*: vniuersale essentiale, est aptum inesse multis essentialiter: accidentale est aptum inesse multis accidentariò: consideratum vero in specie infima, est quintuplex scilicet, *genus, species, differentia, proprium & accidens commune*.



CAPVT



CAPUT IV.

De genere, quid sit & quotuplex.

GENVS est pars essentialis speciei, ac proinde est prius natura specie, & quia est pars essentialis communior, est prius differentia specifica quæ est altera pars essentialis speciei, sed minus communis & maximè propria ipsi speciei est verò prius natura proprio & accidente communi, quia est attributū esseentiale speciei, proprium verò & accidens commune sunt attributa quæ non sunt de essentia speciei, idcirco in enumeratione prædicabilium genus tenet primum locum.

Quandoquidem homonyma sunt prius distinguenda quam definienda ex Philosopho lib. 6. Tp. cap. 2°. Nomen generis utpote homonymum nobis est distinguendum.

Nomen generis aliquando sumitur pro

patria, verbi gratia, quandò dicitur, Petrus est genere Tolosanus, aliquandò designat originem a qua multi oriuntur, ut apud Ouidium in hoc versu.

Nam genus & proauos & quæ non fecimus ipsi.

Quandoquè significat multitudinem hominum qui ab eadem stirpe ortum trahunt, ut quandò dicitur Myrmidonum genus. Postremò sæpiissimè sumitur pro eo cui subjiciuntur plures species & in hac vltima significatione hîc usurpatur.

Genus hoc vltimo modo sumptum definitur à Porphyrio *prædicabile de multis specie differentibus in questione quid*: in qua definitione tres sunt particulæ examinandæ: prima est *prædicabile de multis* per quam genus differt à singulari quod est *prædicabile de uno tantum scilicet de se ipso*, verbi gratia, Petrus est Petrus, quæ *prædictio* est quidem vera, sed non formalis & categorica: & quamuis Deus sit *prædicabilis de multis personis*, non tamen est *præ-*

dicabilis de multis speciebus vel individuis ut genus. Secunda est *specie differentibus* per quam genus distinguitur à specie quæ est prædicabilis de multis numero, non verò specie differentibus; quæ autem differunt specie sunt duplia, nam alia differunt specie, quia sunt species oppositæ ut homo & brutum: alia verò differunt specie quia continentur sub diuersis speciebus, ut Petrus & hic Leo; per ea quæ differunt specie intelligere debemus ipsas species oppositas, adeò ut sensus sit, genus esse prædicabile de pluribus speciebus. Tertia & vltima particula est *in quæstione quid*, vbi sciendum est prædicari in quid esse prædicari essentialiter, vel satisfacere quæstioni factæ per quid, per hanc vltimam partem genus distinguitur à differentia quæ non prædicatur in quid simpliciter, sed in quale quid, à proprio & ab accidente communi quæ non prædicantur in quid, sed in quale.

Genus verò definitur à nobis *vniuersale*

multis specie differentibus in questione quid: vniuersale in prædicta definitione est genus, & reliqua verba continent differentiam specificam generis.

Genus diuiditur in *supremum*, *subalternum*, & *infimum*: genus supremum est illud quod nullum habet suprà se genus (scilicet vniuocum) quale est verbi gratia substantia: genus subalternum est illud quod habet suprà se genus vniuocum, & etiam habet infra se aliud genus, vt viuens suprà quod est corpus, & infrà quod est animal, genus infimum est illud quod non habet infra se aliud genus quale est brutum, nam sub bruto non datur aliud genus: genus supremum ita est genus vt non sit species: genus subalternum est simùl genus & species diuerso respectu, genus respectu inferiorum, & species respectu superiorum, vt viuens: nam respectu corporis est species, respectu verò animalis & corporis animati insentientis est genus, genus infimum est etiam genus & species

diuerso respectu , vt brutum quod est species animalis, & genus Canis, Leonis &c. Conclusionis vice.

Nota 1°. Genus latius patere suā specie, verbi gratia, animal latius patet homine , nam omnis homo est animal, sed omne animal non est homo.

Nota 2°. Genus esse prius naturā suā specie, quatenus prius natura significat illud à quo ad aliud non valet mutua existendi consequentia (vt satis patet) nam recte dico est homo, Ergo est animal, sed non vice versâ, est animal, Ergo est homo vnde.

Nota 3°. A genere ad speciem consequiam valere & non valere: valet negatiuè , vt non est animal, Ergo non est homo , & non valet affirmatiuè , vt est animal, Ergo est homo , vbi in transcursu aduertendum est à genere ad speciem sumptam indeterminatè siue disiunctiuè valere quidem consequiam etiam affirmatiuè , vt est animal, Ergo est homo vel brutum,

sed non valet consequentia determinatè ad vnam speciem (vt supra) aduertendum est etiam argumentationes quæ fiunt affirmatiuè a genere (quatenus est subiectū in propositione) ad speciem legitimas esse vt animal est sentiēs, Ergo homo est sentiens, sed illæ quæ fiunt à genere (quatenus est attributum) ad vnam speciem non valent affirmatiuè (vt suprà) similiter a specie ad genus consequentia valet & non valet, valet affirmatiuè vt est homo , Ergo est animal, non valet negatiuè, vt non est homo , Ergo non est animal.



CAPVT V.

De specie quid sit & quotuplex.

POst tractatum de genere, statim agimus de specie , non secundum ordinem naturæ, sed secundum ordinem doctrinæ , nam ordine naturæ , differentia

debet prius tractari quam species, quia est pars essentialis speciei, ac proinde prior est natura specie: ordine vero doctrinæ, species debet prius considerari quam differentia, quia cognitio speciei est necessaria ad perfectè intelligendam definitiōnem generis, quandoquidem species ingreditur generis definitionem.

Nomen speciei oritur ab illo antiquo & inusitato verbo specio, quod significat aspicio, vel respicio, Græcis dicitur εἰδος à verbo εἴδω, & hoc quoad eius Etymologiam, nunc eius homonymiam discutiamus.

Ambiguum est speciei nomen, nam (vt etiam docet Porphyrius, cap. 1º. introductionis suæ) aliquando significat egregiam corporis formam, siue pulchritudinem corpoream, vt in hoc versiculo.

Περὶ τὸν μὲν εἴδος ἀξιον τοπεῖται.

Primum quidem species digna est imperio.

Aliquando significat apparentiam, vt furtum est bonum secundum speciem, i.e.

Secundum apparentiam , postremò sàpè
designat , *id omne quod subiicitur directè , &*
proximè generi , & in hac vltima significa-
tione , nunc usurpatur.

Discussâ nominis speciei homonymia
speciem definimus triplici definitione,
quarum prima & secunda conueniunt om-
ni speciei , tam subalternæ , quam infimæ ,
tertia vero & vltima conuenit soli speciei
infimæ (de quâ specie infimâ nunc est ser-
mo) prima est , species est *id quod subiici-*
tur generi , secunda est , species est id de quo
genus prædicatur in quæstione quid : quæ de-
finitiones conueniunt speciei subalternæ ,
& quæ ac speciei infimæ , v. g. animal (quod
est species subalterna) subiicitur generi
scilicet viuenti , & est id de quo genus , ni-
mimum viuens prædicatur in quæstione
quid , tertia definitio est ; prædicabile de
multis numero differentibus proximè , & in
quæstione quid : cuius definitionis singulæ
partes nobis sunt perpendendæ , prima est
prædicabile (de quo satis supra) secunda est

de multis numero differentibus, vbi per ea quæ differunt numero non debemus intelligere ea quæ faciunt numeros diuersos, vt faciunt duo homines, & tres homines disiunctiè sumpti, nam duo homines faciunt numerum binarium, & tres homines, numerum ternarium: hoc enim posito sequeretur Petrum, & Paulum non differre numero; quia non faciunt numeros diuersos; Petrus enim & Paulus sumpti coniunctim faciunt numerum, non vero numeros, & sumpti disiunctim neque numerum, neque numeros constituunt. Non debemus etiam intelligere ea quæ faciunt diuersas unitates quando numeramus, nam hoc posito sequeretur, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum in Diuinis, distingui numero, quia faciunt diuersas unitates, quando numeramus personas in Diuinis: sed per ea quæ differunt numero, intelligenda sunt, ea quæ distinguntur integro affectionum numero, ita vt integer numerus proprietatum ynius indiuidui

non possit conuenire alteri, & ita Petrus, & Paulus differunt numero, nam omnes proprietates indiuidantes Petri, neque sunt, neque possunt esse in Paulo. Tertia particula est *proximè*, per quam species distinguitur à genere, nam genus prædicatur quidem de pluribus numero differētibus, sed non proximè, & immediatè, ut species, v.g. animal dicitur de Petro & Paulo non immediatè sed mediatè, mediante scilicet homine, nani quærenti cur Petrus est animal, benè respondeatur quia est homo &c. Homo verò (qui est species) dicitur de Petro & Paulo proximè & immediatè: tertia & vlt. particula est *in quæstione quid* prædicari autem in quæstione quid est prædicari essentialiter, vel satisfacere quæstioni factæ per quid, vt si quæratur quid est Petrus, quid est Paulus, benè respondeatur est homo. Per hanc vltimam partem species distinguitur à differētia quæ non prædicatur in quid simpliciter, sed in quale quid. Distinguitur etiam à proprio & ab accidente

communi quæ non prædicantur in quid,
sed in quale, *species* diuiditur in *subalternam*
& *infimam*: *subalterna* est illa quæ est ge-
nus & *species* diuerso respectu: est genus
respectu suorum inferiorum, & est *species*
respectu superiorum v. g. animal est spe-
cies respectu viuentis, & est genus respe-
ctu hominis & bruti: *species infima* est illa
quæ est *species omni respectu*, & respe-
ctu superiorum, & respectu suorum infe-
riorum, vt homo qui est *species respectu*
animalis, & etiam respectu Petri & Pauli;
vnde prior *species* vocatur expressè, *subij-*
cibilis quia est *species respectu superiorum*
tantùm quibus subiicitur: posterior dici-
tur nominatim prædicabilis, quia est spe-
cies etiam respectu inferiorum de quibus
prædicatur. Conclusionis vice-

Nota 1º. Posita specie, poni necessariò
genus, vt posito homine ponitur necessa-
riò animal, sublata verò specie non statim
tollitur genus v. g. sublato homine non
tollitur necessariò animal, sublato verò

genere tolluntur necessariò omnes species
ut sublato animali tolluntur necessariò
homo & brutum.

Nota 2°. Et vltimò speciem subalter-
nam non esse secundum prædicabile (de
quo nunc est sermo) quia est genus, vt su-
pra, ac proinde primum est prædicabile:
species verò infima est hoc secundum præ-
dicabile, quod recensetur inter quinque
prædicabilia.



CAPUT VI.

De differentia quid sit & quotuplex.

DIFFERENTIA in communi est id
omne quod facit differre.

Diuiditur in essentiale & accidentale:
essentialis est ea quæ facit differre essentiali-
ter unum ab alio, vt rationale nàm distin-
guit essentialiter hominem à bruto : diffe-
rentia accidentalis est ea quæ facit differre
accidentariò unum ab alio.

Differentia accidentalis est duplex, scilicet *propria* & *communis*: *propria* est *accidens proprium quo unum differt ab alio*, ut risibilitas qua homo distinguitur à bruto, differentia accidentalis *communis* est *accidens commune quo unum differt ab alio*, vel à se ipso, qualis est scientia qua Petrus doctus distinguitur à Paulo qui non est doctus; differentia accidentalis *communis* ex prædicta definitione, est *accidens commune*, ac proinde quintum est *prædicabile*: differentia accidentalis *propria* est *accidens proprium*, ac proinde quartum est *prædicabile*: vnde sequitur hic non agide differentia accidentalis *propria* vel *communi*, sed de differentia *essentiali* vel *specifica*, quam definimus cum Porphyrio, *prædicabile de multis, specie, vel numero differentibus in quale quid*: dixi *prædicabile de multis*, per quam partem conuenit cum cæteris vniuersalibus, addidi, *specie, vel numero differentibus*, vt comprehendam differentiam genericam, & specificam.

cam, quarum illa de multis specie, hæc
verò de multis solo numero differentibus
prædicatur, sub iuxta in quale quid, ut di-
stinguatur à reliquis prædicabilibus quæ
prædicatur vel in quid tantùm, vel in qua-
le tantùm, sed non in quale quid simul: ex
prædictis.

Colligimus 1º. Differentiam acciden-
talem, siue propriam, siue communem
esse accidens, differentiam verò essentia-
lem, & specificam (de qua hic) esse sub-
stantiam.

Colligimus 2º. Differentiam essentia-
lem esse duplicem, vnam genericam, alte-
ram, specificam: genericæ est differentia spe-
ciei subalternæ quæ est genus & species di-
uerso respectu (vt suprà) differentia speci-
fica est differentia speciei infimæ, quæ est
species omni respectu, vnde prior vocatur
genericæ, posterior dicitur nominativum spe-
cifica quæ differentiæ accidentariò tan-
tum differunt.

Colligimus 3º. Et ultimò differentiam

specificam tres habere effectus, 1º. Diuidit genus, 2º. Constituit speciem, 3º. Eam distinguit essentialiter ab omni alia: quia diuidit genus, dicitur à Porphyrio, οὐσανή, i. e. Diuisiua, quia constituit speciem vocatur ουσανή i.e. Constitutiua: quia vero distinguit unam speciem ab altera non innatur simpliciter οὐσιοεξά i. e. Differentia.

CAPVT VII.

De proprio.

CONSIDERATIS vniuersalibus essentia-
libus, pertractanda sequuntur vni-
uersalia accidentalia, quorum prius quod
nobis occurrit est proprium.

Aliquid dicitur proprium quatuor mo-
dis: proprium 1º. Modo est *quod conuenie-*
soli, sed non omni i. e. Soli speciei, sed non
omni individuo illius speciei, ut esse Phi-
losophum conuenit soli homini, sed non

omni individuo hominis: proprium 2°.
modo est quod conuenit omni, sed non soli i.e.
omni individuo alicuius speciei, sed non
soli speciei, ut habere caput conuenit om-
ni homini, sed non soli: proprium 3°. Mo-
do est quod conuenit omni soli sed non semper,
ut senescere quod conuenit omni, & soli
homini, sed non semper: proprium 4°.
modo est quod conuenit omni, soli, semper
subiecto, & cum eo reciprocatur, vel est præ-
dicabile de multis in quale necessariò, ut risi-
bilitas, quæ conuenit omni, soli & sem-
per homini, & cum eo reciprocatur, nam
benè dico omnis homo est risibilis, & om-
ne risibile est homo: proprium 4°. modo,
1°. Dicitur prædicabile de multis, (i. e. de
multis specie differentibus si sit proprium
genericum, vel numero differentibus si sit
specificum) ut conueniat cum ceteris uni-
versalibus, & differat à singulari: additur
in quale i.e. accidentariò ut distinguatur à
genere, à specie, & differentia quæ prædi-
cantur, vel in quid simpliciter, vel in quale
quid,

quid, sed non in quale tantum: subiunxi
necessariò, vt distinguatur ab accidente
communi, quod prædicatur in quale con-
tingētèr, non in quale necessariò: tale pro-
prium est v. g. risibilitas de hoc proprio
4°. Modo hīc agitur. Conclusionis vice:

Nota 1°. Proprium quarto modo reci-
procari cum suo subiecto proximo & im-
mediato, in *recto*, i. e. In nominatiuo v. g.
omnis homo est risibilis, & omne risibile
est homo, non verò reciprocatur in obli-
quo, i. e. in alio casu præter nominatum
quo modo relata reciprocantur.

Nota 2°. Proprium quarto modo con-
uenire cum differentia specifica, quia con-
uenit omni soli semper subiecto, & cum
eo reciprocatur æquè ac differentia speci-
fica, differt vero ab illâ quia differentia
specifica conuenit subiecto essentialiter,
& à priori: proprium verò conuenit subie-
cto accidentariò & à posteriori, vnde dif-
ferentia specifica dicitur *essentialis consti-*
tuens, proprium verò vocatur, *essentialis*

consequens, quia sequitur essentiam sui subiecti.

Nota 3º. Et vltimò proprium quarto modo esse duplex, vnum *genericum*, alterum *specificum*, genericum est illud quod fluit ab essentia speciei subalternæ, quæ non tantum est species, sed etiam genus: ut sensibilitas respectu animalis; proprium specificum est, illud quod fluit ab essentia speciei infimæ, quæ est species tantum, ut visibilitas respectu hominis.



CAPVT VIII.

De accidente communi.

ACCIDENS commune vltimum est vniuersale, quia est vniuersale accidentale & contingens.

Nomen accidentis sumitur duobus modis, vel latè prout opponitur essentiæ subiecti, & significat id omne quod non

est de essentia sui subiecti, quo sensu proprium est accidens sui subiecti, quia non est de eius essentiā: vel strictè prout opponitur essentiæ subiecti, & proprietati essentiali subiecti, & significat id omne quod neque essentialiter, neque necessariò est in suo subiecto, sed contingenter tantum: & hoc ultimo sensu quintum hoc predicabile dicitur accidens.

Accidens igitur strictè sumptum siue accidens commune definitur à Porphyrio, *id quod adest, & abest à subiecto sine illius interitu*: in quâ definitione tres sunt particulæ seriorē perpendendæ: prima est, *adest, & abest*; Vbi adest, & abest non debent intelligi de actu, sed de potentiatâ. ita ut sensus sit, *accidens* est id quod potest adesse & abesse: præterea sciendum est præsentiam esse duplicem, unam *realem*, alteram *mentalem*: realis est modus quo *res est realiter præsens*, qualis est præsentia Eliæ in cælis. Præsentia mentalis est modus quo *res est mentaliter præsens*, qualis

est præsentia albedinis in coruo , quando concipio eum esse album . Totuplex est etiam absentia , vna *realis* , altera *mentalisa* : *realis* est *modus* , quo res est realiter absens , qualis est absentia albedinis à coruo ; absentia *mentalisa* est *modus* , quo res est mentaliter absens , qualis est absentia nigredinis à coruo , quando concipio eum non esse nigrum : hīc intelligenda est tum præsentia *mentalisa* , tum absentia *mentalisa* : absentia autem *mentalisa* est duplex ; vna *simplex* altera *complexa* : *simplex* est consideratio *vnius non considerato alio illi coniuncto* , qualis est absentia risibilitatis ab homine , quando concipio hominem , non concepta risibilitate : absentia *mentalisa* *complexa* est negatio *vnius de alio* , qualis est ea , quā mens negat nigredinem de coruo : prior absentia solet vocari *abstractio simplex* , & posterior nominatur *abstractio composita* . Hīc intelligenda est utraque absentia *mentalisa* , adcō ut sensus sit , accidentis posse affirmari vel negari de suo

Subiecto sine contradictione: vbi sciendum est particulam & esse disiunctiuam: quare intelligendum est, accidens posse affirmari vel negari de suo subiecto (ut iam suprà.) Secunda particula est, à suo subiecto: Vbi per subiectum intelligendum venit tum subiectum inhæsionis, tum subiectum adhæsionis, priori accidens inhæret, posteriori verò adhæret: inhærere autem subiecto est esse in alio, non tanquam partem, & non posse separari ab illo & existere; quod autem adhæret est in alio vel tanquā pars, vel saltem potest separari ab illo & existere. Tertia particula est *sine interitu*, vbi sciendum est interitum esse duplicum, *vnum Physicum*, alterum *Metaphysicum*: prior est interitus existentiæ, ut mors; posterior est interitus essentiæ siue contradictionis, quæ rei naturam destruit: non prior, sed posterior interitus debet intelligi in hac definitione. Concludimus igitur sensum definitionis esse, accidens posse affirmari vel negari de suo subiecto

Sine interitu essentiae, siue sine contradicitione.

Accidens commune sumptum ut est quintum praedicabile potest describi, *praedicabile de multis in quale & contingenter*. Dicitur *praedicabile de multis*, ut distinguitur à singulari, quod est praedicabile de uno tantum: additur *in quale*, ut distinguitur à genere, à specie, & à differentia quæ non praedicantur in quale simpliciter, sed in quid, vel in quale quid: subiungitur *contingenter*, ut distinguitur à proprio, quod praedicatur necessariò non contingenter. Conclusionis vice.

Nota 1º. Accidens commune differre à proprio, quia proprium conuenit. 1º. Vniuersali, & 2º. Singulari, v. g. Risibilitas conuenit homini priusquam Petro, & Petrus est risibilis quia est homo, accidens vero commune conuenit 1º. Singulari & 2º. Vniuersali, verbi gratia, albedo conuenit Petro priusquam homini, unde Philosophus lib. 10. Metaph. cap. 9º. Probat

hominem esse albū quia Callias est albus,
λευκός δὲ ἀνθρωπος ὁν Καλλίας λευκός, i.e. homo
autem est albus, quia Callias est albus.

Nota 2º. Et vltimò proprium 4º. Mo-
do non posse separari realiter à suo subie-
cto per vllam potentiam, etiam per diui-
nam, quia hoc inuoluit contradictionem:
accidens verò commune potest separari
realiter à suo subiecto, vel viribus naturæ,
vel saltem viribus omnipotentis Dei, quia
eius separatio realis à subiecto, non im-
plicat contradictionem.



CAPVT IX.

De singulari quid sit & quotuplex.

SINGVLARE est secundus terminus sim-
plex, categorematicus (vt suprà) de
quo nunc est agendum: describitur autem
vnum incommunicabile multis, vel prædica-
bile de uno tantum, vt Petrus qui est prædi-

cabilis de se ipso solo , hoc pacto Petrus est Petrus, quæ prædicatio est quidem vera, sed non formalis , & categorica : singularē igitur est individuabile in inferiora quæ retineant idem nomen , & eandem naturam cum ipso singulari, idcirco vocatur à Philosophis *individuum*.

Individuum describitur à Porphyrio, id quod constat ex proprietatibus quarū collectio in alio esse non potest, v. gratiā, Petrus est individuum , quia constat ex proprietatibus quæ simul sumptæ in alio esse non possunt, quæque exprimuntur hoc versiculo.

Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus,

Verbi gratiā Petrus est individuum, quia constat ex prædictis affectionibus quæ collectiū sumptæ non possunt esse in Paulo, vel Iacobo &c.

Individuum autem duplex est vnum *substantiale*, alterum *accidentale*: *substantiale* est *substantia singularis* ut Petrus : *individuum accidentale* est *accidens singu-*

lare, vt hæc albedo: vbi notabis substantiam singularem habere unitatem numericam à seipsa, accidens verò singulare desumit suam unitatem numericam à subiecto inhesionis in quo est, verbi gratiâ, albedo est una numero quia est in subiecto quod est unum numero, vnde ortum hoc axioma inter Philosophos receptum accidentia in dividuntur à subiectis.

Individuum substantiale diuiditur in substantiam, suppositum & personam: substantia est substantia singularis ultimè completa, sed non sentiens, vt hic lapis, suppositum est substantia singularis ultimè completa & sentiens, sed non intelligens, vt hic Leo persona verò est substantia, singularis, intelligens, incommunicabilis, non sustentata ab alio, & ultimè completa: dicitur substantia, vt sciamus accidens non esse personam, quia non est substantia: dicitur singularis, vt distinguiatur à substantia universalis, quæ non est persona, quia licet sit substantia, non tamè est singularis: additur intelligi-

gens ut distinguatur à substantia singulari-
brutâ, quę est quidem substantia singula-
ris, sed non intelligens, & idcirco non est
persona: dicitur *incommunicabilis*, ut di-
stinguatur à naturā Diuinā, quę quidem
est substantia singularis, intelligens, sed
non incommunicabilis, quandoquidem
communicatur tribus personis adorandæ
Trinitatis: additur *non sustentata ab alio*,
ut excludatur natura humana Christi, quę
quidem est substantia singularis, intelli-
gens incommunicabilis, sed non est, non
sustentata, sustentatur enim in verbo: po-
stremitò dicitur *vltimò completa*, ut exclu-
damus verbi gratiā, animam rationalem,
Petri in cœlo receptam, quę est substantia
singularis, intelligens, incommunicabi-
lis, non sustentata ab alio, sed non est vlti-
mò completa, & ideo non est persona.

Individuum substantiale, siue persona,
est duplex vnum *determinatum*, aliud *in-*
determinatum siue *vagum*: determinatum
est, illud *quod voce determinata significatur*

& est triplex scilicet signatum; demonstratum, & Periphrasticum: signatum, est id quod proprio nomine significatur, ut Petrus: Demonstratum est id quod fit individualium pronomine Demonstratio preposito generi vel speciei, ut hoc animal, hic homo: Periphrasticum, est illud quod per periphrasim significatur, ut quando dico Romarum orator, pro Cicerone. Individualium vagum est illud quod voce vaga praeposita genera vel speciei fit individualium ut aliquis homo dicitur vagum, tum quia habet significationem vagam & indeterminatam, quæ cuilibet indiscriminatim applicari potest: tum quia efficit mentem nostram vagam, & indeterminatam, nam audita tali voce, mens nostra vagatur nesciens quisnam sit intelligendus, an Petrus, an Paulus. &c. Ex predictis.

Colligimus 1º. Singulare dici individualium, quatenus non potest diuidi in partes quas habeat sub se, licet de cætero sit diuisibile in partes quas habet in se:

partes autem quæ sunt sub toto diuiso
sunt vel species quæ sunt sub genere, vel
individua quæ sunt sub specie: partes vero
quæ sunt in toto diuiso, sunt vel Physicæ,
vel integrantes &c.

Colligimus 2º. Individuum latius, patere persona, nam omnis persona est individuum, sed omne individuum non est persona, verbi gratia, natura humana Christi est individuum, non tamen est persona. Divinitas est individuum, sed non persona, hæc albedo est individuum, non vero persona.



CAPVT X.

De antepredicamentis.

TERMINVS simplex (de quo agitur in prima parte Logicæ) est triplex (ut suprà vidimus) scilicet nō uniuersale, nō singulari & nō prædicamentum hactenus de uniuersali, & singulari, nunc de prædicamentis nobis est loquendum.

Tractatus prædicamentorum tres habet partes, quarum prima, continet anteprädicamenta: secunda prædicamenta: & tertia complectitur post prædicamenta: Anteprädicamenta sunt septem, scilicet tres definitiones, duæ diuisiones, & duæ regulæ: quæ, anteprädicamenta vocantur, quia tractantur antè ipsa prædicamenta, & inseruiunt à priori ad facilius intelligenda prædicamenta: tres definitiones sunt, prima homonymorum, secunda synonymorum, tertia paronymorum: homonymum est duplex, vnum est homonymum, homonymans, & aliud sunt homonyma, homonymata: homonymum, homonymans est ipsum nomen homonymum, ut vox Canis: homonyma homonymata sunt, ea quorum nomen est commune, definitio vero secundum illud nomen est diuersa: quæ definitio ut intelligatur, obseruandum est tres conditiones requiri ad constituenda homonyma, 1º. Debent habere idem nomen, idem scilicet, & secundum litteras,

& secundum accidentia Grammatica, 2^o.
Habent diuersam definitionem, 3^o. Ha-
bent illam diuersam definitionem, secun-
dum illud nomen quod est illis commune,
ita v. g. **Canis terrestris**, **Canis Cœlestis**,
& **Canis marinus** sunt homonyma, quia
habent idem nomen scilicet nomē **Canis**,
diuersam definitionem, nam **Canis terre-**
stris est *animal latrabile*, **Canis Cœlestis**
est *Syodus Cœlestis præcalidum &c.* Et habent
illas diueras definitiones secundum il-
lad nomen **Canis**.

Homonyma homonymata sunt dupli-
cia, alia à casu, alia à consilio: homony-
ma à casu sunt illa quæ habent idem no-
men sibi commune, fortuitò, & sine ullo
consilio vt **Gallus**, **homo**, & **Gallus auis**:
homonyma à consilio sunt ea quæ habent
idem nomen sibi commune ex prævio ali-
quo consilio: vt si quis nominet filium
suum **Alexandrum** eo fine, vt eum mo-
ueat ad præclara **Alexandri magni imitan-**
da facinora.

Secunda definitio est synonymorum, quæ ut melius intelligatur sciendum est aliud esse synonymum synonymans, aliud verò synonyma, synonymata: synonymum synonymans est ipsum nomen synonymum, vel vniuocum, quale est nomen animalis respectu hominis & bruti, synonyma verò synonymata sunt ea quæ *habens idem nomen, & eandem definitionem secundum illud nomen sibi commune*, ita homo & brutum sunt entia synonyma respectu animalis, quare tres conditiones requiruntur ut sint synonyma, 1º. Habent idem nomen, 2º. Habent eandem definitionem, 3º. Habent eandem definitionem secundum illud nomen sibi commune.

Tertia definitio est paronymorum, quæ definiuntur *ea quæ habent appellationem ab alio, à quo sola terminatione differunt, verbi gratiâ, album est paronymum, quia habet appellationem ab albedine à qua, solâ terminatione differt.*

Notabis autem 1º. Hic agi de homony-

mis ut sciamus homonyma excludi à prædicamentis, quia significat multa confuse, prædicamentum autem est dispositio rerum distinctarum.

Notabis 2º. Hic tractari synonyma, ut sciamus superius dici de iuis inferioribus categoricis synonymos, vel vniuocè, i. e. Secundum idem nomen, eandem essentiā, essentialiter, & ex æquo, ita substantia prædicatur de corpore & spiritu.

Obserua 3º. Hic considerari paronyma, ut sciamus quomodo accidentia prædicitur de substantiâ, scilicet paronyms siue in concreto (nam paronyma & concreta idem sunt) verbi gratiâ, albedo dicitur de Petro in concreto, non in abstracto, *Petrus est albus, non verò, Petrus est albedo*: ad constituenda autem paronyma propriè dicta (de quibus nunc agitur.) Quatuor conditiones requiruntur: 1º. Debent habere appellationem ab alio: 2º. Illud aliud, à quo denominationem accipiunt, debet esse forma accidentalis, non essen-

essentialis subiecto quod denominatur: 3°. Debent differre terminatione ab illo, à quo habent appellationem: 4°. & vix timò, paronyma & eorum abstracta debent significare eandem rem , quamuis de cæterò significant eam diuerso modo. Defectu primæ conditionis , *dormiens* non est paronymum à somno , quia non defumit appellationem à somno , *sed à dormitione*. Defectu secundæ homo non est paronymum propriè dictum respectu humanitatis, quia humanitas est eius forma essentialis & substancialis. Defectu tertiae, Grammatica , quæ est ars , & Grammatica , quæ est fæmina non sunt paronyma, quia terminatione non differunt, sed potius sunt æquiuoca. Defectu quartæ, studiosus non est paronymum à studio , quia studiosus & studium non significant eandem rem, sed diuersam ; studiosus enim significat virtute præditum , & studium denotat diligentiam.

Duæ diuisiones sunt (de quibus suprà)

prior vocum, posterior rerum : diuisio vox
cum est: alia vox est *simplex*, alia *complexa*:
simplex est ea quæ vnicam rem simplicem si-
gnificat ut homo: vnde plures voces cen-
sentur vnlca vox *simplex*, quando vnicam
rem simplicem designant: v. g. potentia
naturalis , quæ est species qualitatis, est
vox *simplex*. *Complexa* est ea quæ signi-
ficat plures res *simplices*, qualis est ista
propositio Petrus est albus: vbi obserua
vocem simplicem , censeri complexam,
quando denotat res diuersarum categoriarum,
vt nō album : usus huius primæ diui-
sionis est, vt sciamus voces *simplices* con-
tineri in categorijs , quales sunt homo,
animal , &c. Non verò *complexas*.

Posterior diuisio est rerum , & sic se ha-
bet: rerum aliæ sunt *accidentia*, aliæ sunt
substantiæ, accidentium alia sunt *singularia*,
alia, vniuersalia : singularia sunt in subiecto,
sed non dicuntur de subiecto , Ut hæc albedo,
hæc nigredo sunt in subiecto , quia sunt
accidentia: non dicuntur de subiecto, quia

funt singularia: accidentia vniuersalia sunt
in subiecto, & dicuntur *de subiecto*: sunt in
subiecto scilicet inhæsionis, & dicuntur
de subiecto attributionis essentialis, sunt
in subiecto, scilicet inhæsionis, quia sunt
accidentia: dicuntur *de subiecto* attribu-
tionis, quia sunt vniuersalia, qualia acci-
dentia sunt, quantitas, qualitas &c.

Substantiarum aliæ *singulares*, aliæ *vni-
uersales*, singulares nec sunt *in subiecto*, nec
dicuntur *de subiecto*, non sunt in subiecto
scilicet inhæsionis, quia substantiæ: non
dicuntur *de subiecto*, scilicet attributionis,
quia singulares: substantiæ vniuersa-
les, non sunt *in subiecto*, sed dicuntur *de sub-
iecto*, non sunt in subiecto scilicet inhæ-
sionis, quia substantiæ: dicuntur *de sub-
iecto* scilicet attributionis, quia vniuer-
sales.

Vsus secundæ diuisionis est ut sciamus
ordinem qui obseruatur in categorijs, scilicet
in categoria substantiæ collocati omnes
substantias, & in categorijs acciden-

tium, omnia accidentia, & in qualibet categoria vniuersalia esse suprà singularia.

Duæ regulæ sunt vltima pars anteprædicamentorum quarum prior est, *quicquid prædicatur de superiori prædicatur etiam de inferiori*: quæ debet intelligi hoc sensu, tantum scilicet quicquid prædicatur per se, & essentialiter de superiori, prædicatur etiam de inferiori hæc regula traditur ut sciamus omnia superiora in categorijs, dici de inferioribus suis.

Posterior regula duas habet partes: prior est *genere subalterna*, *habent eandem differentiam*, v. g. animal & brutum, habent eandem differentiam sibi communem, scilicet *nō sentiens*, posterior pars est, *genera non subalterna*, *non habent eandem differentiam*, ut animal & habitus, nam differentia habitus est, facere subiectum aptum ad bene, & facile agendum, quam non habet animal.

CAPVT XI.

De prædicamentis.

CONSIDERATIS anteprædicamentis sequitur ut agamus de ipsis prædicamentis, prædicamentum dicitur apud Aristotelem, *κατηγορία*, quæ vox deducitur à verbo *κατηγορεῖν*, quod significat prædicare, quia in categorijs, superiora prædicantur de inferioribus suis, prædicamentum definitur *dispositio generis specierum*, & individuorum, cum differentijs à latere.

Prædicamenta autem sunt decem, scilicet *substantia*, *quantitas*, *qualitas*, *relatio*, *actio*, *passio*, *vbi*, *quando*, *situs*, & *habitus vbi*.

Notabis 1º. enunciationem excludi à prædicamento quia est vox complexa, (vt suprà diximus.) Notabis 2º. concretum, siue paronymum propriè dictum, quale est *album*, non esse in prædicamento, quia

includit res diuersarum categoriarum, nam
includit albedinem, quæ est in categoria
accidentium, & subiectum albedinis quod
est substantia, & in categoria substantie,
vnde si ponemus album in categoria
substantie, albedo quæ est accidens, po-
neretur in categoria substantie, & si pone-
retur in categoria accidentium, subiectum
albedinis quod est substantia poneretur in
categoria accidentium, & sic confunde-
rentur prædicamenta (quod fieri non de-
bet.) Notabis 3°. ens rationis fictum non
esse in prædicamento, quia prædicamen-
tum est dispositio rerū illud autem ens ra-
tionis non est res. Notabis 4°. homonyma
non esse in prædicamento, (vt suprà.) Nota-
bis 5°. ens rationis Logicum non esse in ca-
tegoriâ, quia categoria est dispositio entiū
realium tantum. Notabis 6°. Deum exclu-
di categoriâ, quia est infinitus. Notabis
7°. transcendentalia, non esse in uno præ-
dicamento, quia sunt suprà omne prædi-
camentum. Notabis 8°. priuationem, non

esse in categoria, quia non est ens, sed absentia entis. Notabis 9^o. partes Physicas non esse prædicamentales: quæ omnia docentur his versiculis.

Complexum, consignificans, fictum, polyphemus,

Vox Logica, Deus, excedens, priuatio, parsque.

Vtigitur aliquid sit in categoria quinque conditiones requiruntur. 1^o. Debet esse ens reale. 2^o. Ens per se. 3^o. Finitum. 4^o. Totum vel se habens tanquam totum 5^o. Vniuocum, vel saltem sub vniuoco, figuram autem categoriæ hic subijcimus.

Substantia.

Differentiæ
Corporæ.

Animatum.

Sensituum.

Rationale.

Petreitas.

Differentiæ
Incorporeæ.

Inanimatum.

Insensituum.

Itrationale.

Paulitas.

Corpus.

Viuens.

Animal.

Homo.

Petrus. Paulus.



CAPVT XII.

De substantia.

SV B S T A N T I A est fundamentum omnium accidentium idcirco ab ea ordinatur.

Nomen substantię, vel *σοίας* apud Græcos, sumitur duobus modis, vel latè, vel strictè: latè sumptum significat essentiam, hoc sensu usurpatur apud Philosophum, in cap. de homonymis vbi dicit homonyma habere *λόγον τῆς σοίας*, i. e. rationem substantię, siue essentię: strictè sumptum, significat *id quod per se subsistit*, & hoc ultimo sensu hic sumitur.

Substantia igitur, (strictè sumpto vocabulo) est *ens per se subsistens*, 1º. Dicitur *ens*, ens autem est *id omne quod habet essentiā*: non subsistere per se sumitur tribus modis, 1º. Significat non dependere ab alio, tanquam à causa efficiente & conseruante, & hoc

sensu solus Deus subsistit per se, 2º. Significat non dependere ab alio, tanquam à persona, quo sensu sola persona dicitur subsistere per se, 3º. sæpè significat non dependere ab alio tanquam à subiecto inhesionis, siue non inhærere subiecto, & in hac ultima significatione híc accipitur non subsistere per se, quare sensus definitionis est substantiam esse ens, quod non est in subiecto inhesionis, vel a subiecto inhesionis non dependet.

Substantia diuiditur in *primam* & *secundam*: substantia prima est, *substantia singularis*: substantia secunda est, *substantia vniuersalis*: substantia autem singularis, dicitur prima, quia primariò existit, & primariò cognoscitur est enim sensibilis per se: substantia vniuersalis, vocatur secunda, quia secundariò existit, scilicet per primam; & secundariò cognoscitur, scilicet mediante prima: iam vidimus quid sit & quotplex substantia, inquiramus qualis sit, siue quenam sint eius proprietates.

Proprietates substantię sunt sex, prima est *substantia non est in subiecto scilicet inhesionis*, quia subiectum non est in subiecto, substantia autem est subiectum, & hæc est proprietas 4°. modo substantiæ.

Secunda est *substantia predicatur vniuocè vniuocatione scilicet essentiali*, quia prædicatur secundum nomen, secundum essentiam, æqualitèr, & essentialitèr, hæc proprietas, conuenit substantiæ secundæ, non primæ: vbi obserua substantias vniuersales distingui ab accidentibus vniuersalibus in eo quod, substantiæ vniuersales, prædicentur essentialiter tantùm, accidentia verò vniuersalia prædicantur essentialiter, & accidentariò simul: essentialiter de suis inferioribus categoricis, accidentariò, de subiectis inhesionis in quibus sunt, v.g. albedo, prædicatur essentialiter de hac & illa albedine, & accidentariò de Petro.

Tertia est *substantia significat hoc aliquid*, quæ proprietas conuenit substantiæ prime tantùm: *aliquid i. e. essentiam, hoc, i. e.*

singularem, & dīgito demonstrabilem.

Quarta proprietas est *substantia non habet contrarium*, i. e. non habet aliam substantiam sibi contrariam in ratione substantiæ, licet de cætero, substantiæ sibi contrariantur in ratione qualitatum v. g. ignis & aqua sibi contrariantur non per se, & ratione substantiæ, sed per accidens & ratione qualitatum scilicet ratione caloris & frigoris.

Quinta *substantia non recipit magis & minus* i. e. una non habet magis essentiam substantiæ quam alia, licet habeat maiorem quantitatem, vnde una est maior substantia, quam alia sed non magis substantia.

Sexta & ultima, *una & eadem numero substantia recipit contraria cum sui mutatione*: ubi nota substantiam recipere illa contraria, siue qualitates inter se pugnantes, successiue, non verò simul & semel, quia contraria non possunt esse simul, & substantiam pati aliquam mutationem, nimirum accidentalem non essentiale, ut quando Petrus ex calido fit frigidus.



CAPVT XIII.

De quantitate.

NO M E N igitur quantitatis sumitur duobus modis, vel latè & impropriè, vel strictè, & propriè: latè sumptum significat perfectionem cuiuslibet rei, siue virtutē, vnde Alexander à virtute sua, dicitur magnus, & hæc quantitas dicitur *virtutis siue transcendentalis*, quia vagatur per omnes categorias. Strictè sumptum designat positionem partium extrà partes, & ista quantitas, nominatur *quantitas molis*, & *categorica* de qua nunc agitur.

Quantitas igitur molis definitur, *accidens habens per se partem, extrà partem*: dicitur *accidens* vt distinguatur à substantia: additur, *habens per se*, vt excludatur corpus, quod habet quidem partem extrà partem per quantitatem, sed non per se: subiungitur partem, vt distinguatur à spiri-

tualibus, quæ non habent partes: dicitur verò partem extrà partem, non partes extrà partes, vt comprehendamus numerum binarium, qui quamuis non habeat partes extrà partes, sed partem extrà partem, scilicet priorem unitatem extrà posteriorem, non desinit esse quantitas.

Quantitas diuiditur in continuam, & discretam: continua est ea cuius extrema communis termino copulantur, communis terminus est punctum copulans partes, discreta est ea cuius extrema sunt simul, sed communis termino non copulantur.

Quantitas continua subdiuiditur in quinque species, scilicet lineam, superficiem, corpus, locum & tempus, discreta subdiuiditur in numerum & orationem.

Linea definitur ab Euclide, *longitudo sine latitudine*: vbi nota non dari longitudinem quæ sit à parte rei separata à latitudine, sed datur longitudo separata per mentem à latitudine, quod compertum habet viator qui cogitat de longitudine viæ, sed non de latitudine viæ.

Superficies definitur *longitudo*, & *latitudo*, *sine profunditate*: separantur autem *longitudo*, & *latitudo* à *profunditate* non realiter sed mentaliter, ut probè sciunt qui agros metiuntur, qui cogitant de *longitudine* & *latitudine agrorum*, sed non de *profunditate*.

Corpus est *longitudo*, *latitudo* & *profunditas*: vbi definitur corpus *Mathematicum* non *Physicum*, nam *Physicum* est *substantia*.

Locus definitur à *Philosopho*, lib. 4. *Physicæ Auscultationis* cap. 4°. τὸ πρῶτον ὅρματος πρὸς αὐτὸν περίτον, i. e. *terminus primus* & *immobilis corporis ambientis*: *terminus*, quia terminat locatum: *primus*, quia 1°. & immedatè attingit locatum v. g. *superficies aëris ambientis Petrum*, proximè tangit Petrum: dicitur *immobilis*, quia per se non potest moueri, sed per *corpus cui inhæret*, vt *superficies aëris mouetur per aërem*: additur *corporis ambientis*, vt distinguiatur à *superficie enumerata post li-*

neam, quæ est terminus primus & immobile, sed non corporis ambientis, hic autem locus qui definitur est locus externus, non internus, qui locus internus describitur, spatum occupatum ab uno corpore, non habente relationem ad aliud corpus ambientis, talis est locus supremi cœli nam occupat spatum, & non habet relationem ad corpus superius à quo ambiatur.

Tempus definitur à Philosopho lib. 4. Physicorum, cap. 11°. ἀριθμὸς κινήσεως, καὶ τὸ πρώτεον, τὸ δεύτερον, i. e. numerus motus secundum prius & posterius. 1°. dicitur numerus, scilicet numeratus, non verò numerans, quia numerus numerans est species quantitatis discretæ: additur motus, i. e. motus actualis, qui est successivus, non motus aptitudinalis, siue mobilitatis, quæ est ens permanens, adiicitur secundum prius & posterius, vt sciamus tempus habere partes priores & posteriores, alias actu, alias potentiam, ac proinde tempus esse ens successivum.

Quantitas discreta subdiuiditur in numerum & orationem, numerus est multitudo vnitatum: vbi nota 1°. vnitatem esse duplarem, vnam quantam, aliam non quantam, numerus est multitudo vnitatum quantarum. Nota 2°. vnitatem principium esse numeri, sed non numerum, quia vnitatis non est multitudo vnitatum. Nota 3°. multitudinem vnitatum quantarum esse duplarem, vnam confusam, alteram, distinctam, numerus est multitudo distincta non confusa.

Oratio est *quantitas discreta*, quæ mensuratur syllaba longa, vel breui, ut ista vox dominus.

Vidimus quid sit & quotplex quantitas, nunc videamus qualis sit, vel quænam sint eius proprietates.

Prima est, *quantitas non habet contrarium* i. e. quantitates sibi non contrariantur ratione quantitatis, bene tamen ratione qualitatum, v. g. superficies alba, & superficies nigra sibi contrariantur, ratione albedinis & nigredinis. Secunda

Secunda est *quantitas non recipit magis & minus*; vbi illæ voces magis & minus, non sumuntur adiectiuè, sed adverbialiter, & sensus est vnam quantitatem, non participare magis essentiam quantitatis quam aliam, quamvis habeat maiorem extensionem, quam alia, vndè vna est quidem maior quantitas, quam alia, sed non est magis quantitas.

Tertia & ultima proprietas est, à quantitate res dicuntur æquales, vel inæquales: & hæc, est proprietas 4°. modo quantitatis, vbi obserua ab æqualitate, vel inæqualitate, res dici formaliter æquales, vel iræquales, à quantitate vero, dici fundamentaliter æquales, vel inæquales.



CAPVT XIV.

De qualitate.

POst quantitatem statim agimus de qualitate quæ sequitur formam, sicut quantitas materiam, & est prior naturâ cæteris prædicamentis, quæ à qualitate dependent.

Nomen qualitatis sumitur duobus modis scilicet latè vel strictè: latè sumptum significat id omne à quo subiectum denominatur quale: quo sensu differentia specifica substantiæ dicitur qualitas: strictè sumptum designat accidens à quo subiectum dicitur quale & ita sumitur in hoc capite.

Qualitas igitur ità usurpata est *accidens à quo subiectum dicitur simpliciter quale*: dicitur *accidens*, vt distinguatur à substantia & conueniat cum reliquis accidentibus: additur à quo subiectū dicitur *simpliciter quale*, vt differat à reliquis accidentibus à quibus

subiectum dicitur quale secundum quid, non simpliciter, verbi gratia à quantitate quale & extensum, ab actione quale & agens &c. qualitas vero denominat subiectum quale tantum.

Qualitas dividitur in quatuor species binomines, scilicet *habitum* & *dispositio-*
nem, *potentiam naturalem* & *impotentiam*, *pa-*
tibilem qualitatem & *passionem*, *formam* &
figuram.

Habitus est *qualitas aduentitia difficile*
mobilis à subiecto & faciens subiectum aptum
ad bene & facile agendum: talis habitus est
Philosophia in doctissimo Philosopho.

Dispositio est *qualitas aduentitia facile*
mobilis à subiecto faciens subiectum leviter ap-
tum ad bene & facile agendum, qualis est Phi-
losophia in eo qui primoribus labris tan-
tum eam degustauit: ubi obserua dispositio-
nem non differre essentialiter ab habi-
tu, sed accidentariō, ut minus perfectum à
magis perfecto, ut puer differt à se ipso
quando est maturæ a tatis.

Potentia naturalis est *qualitas à natura insita faciens subiectum aptum ad agendum vel patiendum*: qualis est potentia intelligendi in homine: vbi nota potentiam naturalem differre ab habitu duobus modis, 1°. Ratione principij: 2°. Ratione effecti: ratione principij, quia habitus venit ab extrinseco scilicet vel à deo infundente, vel à proprio labore, potentia verò naturalis fluit à natura subiecti: ratione effecti, quia habitus facit subiectum aptum ad bene & facile agendum, potentia verò facit illud aptum ad agendum simpliciter si sit potentia actiua, & ad patiendum simpliciter si sit passiua.

Impotentia naturalis est *qualitas à natura insita faciens subiectum leuiter aptum ad agendum vel patiendum*: qualis est vis currendi in sene: quare impotentia non est negatio potentiae, sed negatio robustae potentiae, ita ut sit potentia, sed languida.

Patibilis qualitas est *qualitas inferens passionem sensibus & difficile mobilis à subiecto*

qualis est pallor in eo qui semp̄ pallidus est, dicitur patibilis & ratione principij à quo fluit, fluit enim ab aliqua passione interna siue perturbatione, & ratione effecti quia infert passionem sensui, verbi gratia pallor infert passionem visui.

Passio est *qualitas inferens passionem sensibus & facile mobilis à suo subiecto:* qualis est pallor ortus ex repento metu, qui citò transit, vnde Philosophus non negat absoluē passionem esse qualitatem, sed secundum quid scilicet negat esse permanentem: ubi notabis vocem passionis esse ambiguam, nam aliquando sumitur formaliter & in abstracto pro actu recipientis quantum est recipiens & hoc sensu constituit prædicamentum diuersum à qualitate, aliquādo sumitur materialiter & in concreto pro ipso termino qui recipitur in subiecto, qualis est albedo quæ recipitur in pariete & in hac significatione est species qualitatis (ut nunc vidimus.)

Forma est *qualitas ex varia quantitatibus*

Physicæ terminatione resultans : qualis est pulchritudo faciei.

Figura est *qualitas ex varia quantitatibus Mathematicæ terminatione resultans : qualis est triangulum : vbi nota per quantitatem Physicam intelligendam esse quantitatem coniunctam cum materia, & per Mathematicam eandem quantitatem ut abstractam à materia: accepimus quid sit & quadruplices qualitas : nunc videamus qualis sit vel quænam sint eius proprietates.*

Prima est *qualitas habet contrarium : scilicet Logicum, contrarium autem Logicum est qualitas positiva aduersa, ita calor habet contrarium Logicum scilicet frigus : hæc proprietas non conuenit omni, nam lux quæ est qualitas non habet tale contrariū.*

Secunda est *qualitas recipit magis & minus : vbi magis & minus debent intelligi de gradibus Physicis, non de essentia ita ut recipiat magis & minus secundum gradus, sed non secundum essentiam, & una qualitas est maior qualitas quam alia, sed non*

magis qualitas v.g. calor ut octo est maior calor quam calor ut duo, sed non est magis calor.

Tertia & ultima est à qualitate res dicuntur similes vel dissimiles: non dico similes & dissimiles coniunctim, sed similes vel dissimiles disiunctim, scio quidem à sola similitudine res dici formaliter similes & à sola dissimilitudine formaliter dissimiles, sed tamen à qualitate dicuntur fundamentaliter similes vel dissimiles, hæc est proprietas 4°. modo qualitatis.



CAPVT XV.

De relatione.

PHILOSOPHVS inscribit hoc caput de relatis in plurali, non de relato quia relatio includit essentialiter plures terminos: quia est accidens, est in subiecto: quia vero est accidens relativum refert subiectum suum ad terminum: ac proinde inuoluit

in suo conceptu, subiectum & terminum, vnde dictum est à veteribus relatio, πληθυντὸν ἀριθμὸν εἰσάγει i.e. inducit pluralem numerum.

Relatio in communi est respectus unius ad aliud, & est duplex vna transcendentalis, altera categorica : transcendentalis est respectus unius ad aliud, tanquam ad objectum, vel subiectum, causam, vel effectum: qualis est relatio scientiae ad scibile. Relatio categorica est merus respectus unius ad aliud tanquam ad terminū, vel accidens cuius totum esse est referre unum ad aliud: qualis est Paternitas : vbi obserua totum esse specificum relationis esse quidē referre, sed non totum esse siue genericum, siue specificum, eius enim esse genericum est esse in subiecto cum sit accidens.

De relatione categorica & de relatis categoricis (quæ sunt proprièdita relata,) nunc agitur, & ea definimus, ea quorum totum esse, est ad aliud referri, v.g. totum esse Patris est referri ad filium &c.

Relata categorica & proprièdīcta diuiduntur in *relata realia*, & *relata rationis*:
relata realia sunt *ea quæ referuntur ad se relatione reali*, vt duo parietes albi qui se mutuo respiciunt per realem similitudinem; *relata rationis* sunt *ea quæ ad se inuicem referuntur relatione rationis* vt genus & species.

Relata realia subdividuntur in *mutua*, & *non mutua*: *mutua* sunt *ea quæ ad se inuicem referuntur mutua relatione reali*, i.e. relatione quæ est realis ex parte utriusque termini vt Pater & filius; *relata non mutua* sunt *ea quæ ad se inuicem referuntur non mutua relatione reali*, vt Creator & creatura, nam creatura habet relationem realem ad Creatore, Creator verò habet relationem rationis ad creaturam: proprietates relatorum; sunt prima *relata reciprocantur in obliquo*; id est dicuntur de se inuicem, in alio casu præter nominatum, vt omnis Pater, est filij Pater, & omnis filius est Patris filius.

Secunda est *relata se mutuo definiunt*, v.g.

Pater est is qui habet filium, & filius est is qui habet Patrem.

Tertia & ultima est relata sunt simul natura, i. e. se mutuo sequuntur secundum existentiam, & unum non est causa alterius v. g. Pater & filius, nam existente Patre, sequitur existere filium, & vice versa, existente filio, sequitur existere Patrem, & præterea Pater non est causa filij, scilicet Pater qua Pater nam de cæterò Pater qua homo dignens est causa filij, sensus est igitur unum relatorum sumptum formaliter, & qua relatum non esse causam sui correlati, bene tamè sumptum materialiter pro ente quod dicitur relatum causa est correlati sumpti etiam materialiter.

CAPVT XVI.

De actione & passione.

SEx prædicamenta quæ sequuntur, breui ter pertractabimus.

Actio est *accidens à quo agens dicitur formaliter agens*: dicitur *accidens*, ut distinguiatur à *substantia*, additur à *quo agens dicitur formaliter agens*, ut differat à cæteris accidentibus, nam nullum est aliud *accidens*, à quo aliquis dicitur *formaliter agens*: à *potentia*, dicitur quidem *causaliter agens*, sed non *formaliter agens*, à sola agitur *actione* aliquis denominatur *formaliter agens*: vel *actio est actus quo agens dicitur formaliter agens*; dicitur *actus*, ubi obserua *actum agentis* etiam *qua agentis esse triplicem*, scilicet *causantem*, *causatum*, & *actus qui est ipsa causalitas*, vel *ratio causandi*, sive *via ad terminum*: *actus causans* est *potentia agendi*, ut *potentia calefaciens* in igne, quæ *calefacit*: *actus causatus* est *terminus per actionem productus*, ut *calor productus in ligno ab igne*: *actus qui est ipsa causalitas* est *calefactio*, quæ *producitur calor*: *actio est ille actus quem vocamus causalitatem*, vel *rationem causandi*: *reliqua verba adduntur in definitione*, ut

actio distinguatur à cæteris accidentibus
(ut suprà vidimus.)

Actio est duplex, scilicet *immanens* & *transiens*, prior est ea cuius terminus manet *in ipso agente*, vt intellectio, cuius terminus scilicet res intellecta, manet in intellectu, actio transiens ea cuius terminus transit *ab agente*, *in externum patiens*, vt calefactio, cuius terminus scilicet calor transit ab igne in lignum.

Proprietates actionis sunt duæ, prima *actio habet contrarium*: secunda est *recipit magis & minus*: vbi intellige illas actiones tantum habere contrarium, & recipere magis & minus, quarum termini habent contrarium: vt calefactio & frigefactio, quarum termini, scilicet calor & frigus, sunt contrarij, & recipiunt magis & minus.

Passio est *accidens à quo patiens dicitur formaliter patiens*: vt vri: proprietates passionis sunt totidem, quot actionis.

CAPVT XVII.

De ubi, quando, situ, & habere.

HÆc quatuor prædicamenta sunt modi rerum, potius quam res.

Vbi est *modus quo locatum est in loco*: vel *præsentia locati in loco*: ut *præsentia Petri in suo Musæo*.

Vbi est duplex, *internum, & externum*, *internum est modus quo locatum est in loco interno*, quale est vbi corporis Christi, in Cœlis: vbi *externum est modus quo locatum est in loco externo*, quale est vbi Petri qui ambitur ab aëre.

Quando est *modus quo res temporaria est in tempore*: v. g. hora octaua qua Petrus studet, est quando.

Situs est *dispositio mutua partium corporis in loco*: qualis est dispositio partium corporis Petri existentis in loco.

Situs est duplex, *vnuis internus, alter*

externus, *internus* est *dispositio mutua partium corporis in loco interno*, qualis est *dispositio corporis Christi in Cœlis*, *situs externus* est *dispositio mutua partium corporis in loco externo*, qualis est *dispositio Petri quem aër continet*.

Habitus est *circumpositio substantiae*, *circumstantiam*: ut esse vestitum, quare non habete non est formaliter substantia, sed *relatio substantiae ad substantiam*.



CAPVT XVIII.

De post prædicamentis.

PERLVSTRATIS anteprædicamentis, & ipsis prædicamentis, pertractanda sequuntur postprædicamenta, quæ tertia sunt & ultima pars tractatus prædicamentorum (ut suprà monuimus.)

Postprædicamenta sunt quinque scilicet *opposita*, *prius*, *simul*, *motus*, & *habere*,

que quia post prædicamenta , tractantur,
audiunt postprædicamenta.

Opposita tunt , termini simplices , inter
se directè pugnantes , qui eidem subiecto singu-
lari , in eadem parte , eodem tempore , & sub
eodem respectu conuenire non possunt ; dicuntur
termini (de terminis autem suprà :) addi-
cuntur simplices ut distinguantur ab enuncia-
tionibus oppositis quæ sunt termini dire-
ctè pugnantes , sed non sunt simplices ter-
mini : adiicitur directè inter se pugnantes , ut
excludantur disparata quæ sunt termini
simplices , pugnantes inter se (sed non di-
rectè pugnantes) ut lapis , & arbor : ea au-
tèm directè pugnant quæ tantoperè pu-
gnant inter se , vt non pugnant æqualiter
tum alijs , & hoc modo pugnant calor , &
frigus : subiungitur eidem subiecto singulari ,
quia opposita possunt conuenire eidem
subiecto vniuersali , verbi gratia homo qui
est vniuersalis est calidus in Petro , & fri-
gidus in Paulo , sed nequeunt conuenire
eidem subiecto singulari : subiicitur in ea-

aem parte, quia opposita possunt esse in eodem subiecto singulari, & in diuersis partibus, verbi gratia Petrus potest esse albus dentibus, facie vero niger; sed non in eadem parte: additur *eodem tempore*, quia Petrus potest esse calidus, & frigidus etiam in eademi manu, sed non eodem tempore: postea emò dicitur *sub eodem respectu*, quia opposita possunt esse in eademi parte subiecti, & eodem tempore, sed non sub eodem respectu, v. g. intellectus Petri est doctus & ignarus eodem tempore, sed diverso respectu, respectu hominis longè doctioris ignarus est, respectu vero hominis indocti doctus est.

Opposita diuiduntur in quatuor species, scilicet, *relata*, *contraria*, *priuantia*, & *contradicторia*; reuerâ quæ opponuntur vel ambo sunt entia, vel unum est ens, & aliud non ens: si ambo sint entia, sunt relativa, vel absoluta; si relativa, *relata* sunt, si absoluta, *contraria* sunt: si unum sit ens, & aliud non ens, illud non ens, est negatum, vel priua-

priuatuum, si negatiuum sunt contradicentia, vt homo non homo, si priuatuum sunt priuantia, de relatis suprà dictum fuit.

Contraria sunt *qualitates*, sub eodem genere maximè inter se distantes, & se mutuò expellentes à subiecto capaci, nisi altera insit à natura: qualia sunt, calor & frigus: dicuntur *qualitates*, vt distinguantur à relatis: additur sub eodem genere, vt excludantur priuantia, & contradicentia, quæ cum sint ens, & non ens, non possunt habere idem genus: additur maxime inter se distantes, vbi sciendum est distantiam esse duplicem, unam localem, alteram specificam: maximè autem distant, distantia essentiali non locali, quia habent differentias specificas oppositas: dicuntur se mutuò expellere à subiecto capaci, vt sciamus contraria non posse esse simul (scilicet in gradu intenso:) postremò dicitur nisi altera insit à naturâ, id est nisi una sit proprietas 4° modo subiecti, vt intelligamus qualitatem

quæ est proprietas 4º. modo subiecti non posse expelli à subiecto per suum contrarium, vt calor non potest expelli ab igne per frigus, quia est proprietas essentialis ignis.

Contraria sunt duplia, alia mediata, alia immediata: mediata sunt ea inter quæ datur medium participationis, vt calor & frigus, inter quæ datur tepor: immediata sunt ea inter quæ non datur medium participationis, benè tamen negationis, qualia sunt, justitia, & injustitia, inter quas datur non justitia, vndè lapis neque est justus, neque injustus, sed non justus: medium autem participationis est illud quod participat aliquid extremonum, medium negationis verò est illud de quo negatur simpliciter & absolutè utrumque extremum, vt lapis, respectu justitiae, & injustitiae: de contrarijs mediatis valet hæc maxima, contrariorum mediatorum non est necesse alterutrum inesse subiecto capaci, vt non est necesse lapidem esse album, vel

nigrum, potest enim esse viridis : de immediatis verò valet ista, *contrariorum immediatorum* necessè est alterutrum inesse subiecto capaci, v. g. necessè est hominem esse justum, vel iujustum. Priuantia sunt opposita apta inesse eidem subiecto tempore à natura determinato, & sine regressu, v. g. cæcitas, & vilus, 1º. Sunt in eodem subiecto, & in eadem parte subiecti, 2º. Tempore à natura determinato, nam cæcitas conuenit catulo post nonum diem (si non videat) non verò antè nonum diem, quia nonus dies est tempus determinatū à natura quo habere debet visum, 3º. Dicitur sine regressu quia à priuatione ad habitum non datur regressus naturaliter, à priuatione scilicet perfecta, quæ tollit actum, & potentiam simul, qualis est cæcitas.

Contradicentia sunt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem : ubi obserua dici affirmationem & negationem non quia sunt verè affirmatio, & negatio, sed quia coniuncta cum verbo faciunt affirmationem,

vel negationem vt est homo, non est homo, inter contradicentia autem nullum est medium, siue participationis siue negationis, vnde ortum est hoc axioma, *duorum contradictientium unum est necessarium verum, & aliud falsum de quolibet ente vel non ente.*

Prius est *quod aliud præcedit*, aliquid autem dicitur prius quinq; modis: 1°. *Tempore*, & est illud *quod præcedit tempore*, ita Abrahamus fuit prior tempore Isaaco. 2°. Aliquid dicitur *prius naturâ secundum existendi consequentiam* & est illud à quo ad aliud non valet mutua existendi consequentia: ita animal est prius naturâ homine, nam ab animali ad hominem, non valet hæc mutua consequentia est animal, ergo est homo: vel prius naturâ est illud *quod non infert aliud sed infertur ab alio*, nam animal non infert hominem, sed ab eo infertur: vnde genus analogum non potest dici prius naturâ specie analoga principali, quia à tali genere ad talem speciem, mutua valet existendi consequentia, vt est ens, ergo est substantia,



nullum enim existit ens quod non sit substantia, vel accidens, quod non potest existere sine substantia, 3°. Aliquid dicitur prius natura secundum causalitatem, & ita causa est prior naturâ suo effectu, ut sol radijs, 4°. Aliquid dicitur prius ordine, & est illud quod ordine præcedit aliud, ita prima vnitas est prior cæteris in numero, 5°. Aliquid dicitur prius dignitate, & est illud quod dignitate præcedit aliud, ita Rex est prior suis subditis, quæ omnia docentur his versiculis.

*Tempore, natura, prius ordine, dic et honore
Causam causato, dicimus esse prius.*

His omnibus modis sextum addunt Christiani, scilicet prioritatem originis quæ est in Diuinis.

Tot modis, aliquid dicitur esse simul, quot prius, scilicet *tempore, natura, ordine, dignitate*: duobus autem modis quædam dicuntur simul naturâ, vel quatenus participant eandem naturam genericam, ut species v. g. homo & brutum, quæ parti-

cipant eandem naturam animalis : vel dicuntur simul naturâ , quia se mutuò sequuntur secundum existentiam & vnum non est causa alterius , & ita relata dicuntur esse simul natura.

Motus est *aetius entis in potentia, quatenus est in potentia* : & sex habet species , scilicet generationem , corruptionem , accretionem , & decretionem , alterationem , & loci mutationem : sed de motu in Physica .

Vltimum postprædicamentum est nō habere , quod multas habet significaciones , 1°. Significat habere qualitatem , vt doctrinam , 2°. Quantitatem , 3°. Significat continere , ita verna dicitur habere aquam , 4°. Sonat possidere , & ita Dominus dicitur habere domum , 5°. Et vltimò significat relationem vnius substantiæ corporeæ ad aliam corpoream , & in hac significacione constituit vltimum prædicamentum .

Notabis autem 1°. Hic agi de oppositis , quia Philosophus mentionem fecerat con-


erariorum, quando docuit qualitatem habere contrarium, contraria autem sunt species oppositorum ac proinde non potuerunt recte explicari, quin prius explicata fuerint opposita.

Notabis 2º. Hic agi de priori, quia antea dixerat genus esse prius sua specie, & quia docuerat relata esse simul naturā: quia verò opposita juxta se posita magis elucescunt de priori locutus est quod opponitur et simul.

Notabis vltimò, Philosophum hic enumerare varias significations vocabuli habere, ut sciamus in qua significacione ultimum sit prædicamentum.

Finis primæ partis.





PARS SECUNDÄ
COMPENDII
 LOGICÆ,
 IN QVA AGETVR DETERMINO
 complexo, id est de enuntiatione, vel
 propositione.

PRÆFATIO.



NIVERSAM Logicam su-
 prà partiti sumus in tres partes,
 quarum prima est de termino sim-
 plici, secunda de complexo, tertia
 verò & vltima de discursu: primam par-
 tem pertractauimus, nunc pertractanda nobis

est secunda: in qua consideratur à Philosopho propositio vocalis (quæ proprie enuntiatio vocatur) quatenus est signum propositionis mentalis, circa quam Logica per se versatur (ut supra:) in hac autem secunda parte hac methodo procedemus, 1º. De nomine & verbo verba faciemus, quia sunt partes enuntiationis, vepatet in hac propositione, homo currit, 2º. Loquemur de oratione complexa, quia est genus enuntiationis, 3º. & ultimè ipsam enuntiationem explicabimus ostendentes quid sit, quotplex sit; & qualis sit, siue quænam sint eius proprietates.

CAPVT I.

De nomine.

NOMEN est vox finita, recta, ex instituto significans sine tempore, cuius partes separatis sumptæ nihil significant, & coniuncta cum verbo est, vel non est, facit pro-

positionem veram, vel falsam: 1°. Dicitur vox ut excludantur conceptus, & Scriptura, quæ non sunt nomina quia non sunt voces, vox autem est sonus procedens ab ore animalis, unde omnis vox est sonus, sed omnis sonus non est vox: 2°. Additur finita, ut rejiciatur nomen infinitum, quod non est propriè nomen, sed negatio nominis ut non homo: ubi notabis illam vocem dici infinitam, quæ habet notam negandi ante se, ut non lapis, & dicitur infinita, quia infinitam habet extensionem, nam potest prædicari de omni ente, & non ente, præterquam de suo finito, ut cœlum est non lapis, terra est non lapis &c. Non vero lapis est non lapis: 3°. Subiungitur recta, ut rejiciatur casus obliquus, qui non est nomen sed casus nominis, & non est nomen quia non est vox recta, sed obliqua, ut homini: dicitur autem obliqua, quando est in alio casu à nominatiuo: 4°. Subiungitur significans, ut excludantur voces quæ nihil significant, ut ista vox blicitri, &c. 5°

Dicitur *ex instituto*, ut rejiciantur voces quæ significant quidem passiones cordis, sed non conceptrus mentis, & significant à natura non ex instituto, ut risus, fletus, &c. ^{up 6°.} Additur *sine tempore*, ut distinguaatur à verbo, nam verbum significat cum tempore, vel adsignificat tempus, id est primariò significat rem, & secundariò aliquam differentiam temporis designat, vel præsens, vel præteritum, vel futurum: nomen verò non significat cum tempore, vel non adsignificat tempus; unde nomen & verbum non differunt significatione, sed adsignificatione, ut *ambulatio*, & *ambulat*, nam significant eamdem actionem, sed *ambulat* addit adsignificationem præsentis temporis: datur quidem nomen significans tempus, ut vox ista dies, sed non adsignificat tempus, quia non significat primariò rem, & secundariò aliquam temporis differentiam, quarè nomen significat tempus, sed non adsignificat tempus: verbum verò adsignificat tem-

pus, sed non significat tempus. Nomen
hoc *mores*, significat quidem tempus cum
re, sed non rem cum tempore, quia pri-
mariò significat tempus præteritum, & se-
cundariò rem scilicet homines qui fuerunt
illo tempore: vndè adsignificat rem, non
verò tempus: 7º. Dicitur *cuius partes se-
paratim sumptæ nihil significant*, vt distingua-
tur ab oratione complexa qualis est ista,
homo est animal, cuius partes scilicet ho-
mo, & animal diuisim sumptæ, aliquid
significant, vt dictiones: vbi obserua partes
nominis separatim sumptas non significa-
re aliquid reduplicatiuè, & quatenus sunt
partes nominis, quamuis de cætero sump-
tæ specificatiuè, & quatenus sunt nomina
vel verba aliquid designent verbi gratia,
partes istius vocis scilicet *Dominus*, seor-
sim sumptæ aliquid significant, quatenus
sunt verbum, & aduerbium, do, minùs;
Postremò additur *coniuncta cum verbo est vel
non est*, facit propositionem veram vel fal-
sam, vt excludantur voces syncategorema-

ticæ , quæ coniunctæ cum verbo , statim non faciunt propositionem veram vel falsam , ut omnis est , nullus est , &c . Per hanc etiam ultimam particulam differt à verbo , nam verbum coniunctum cum verbo , non facit talem propositionem , ut currit , est .



CAPVT II.

De verbo.

Verbū est vox finita , recta , ex instituto significans , cum tempore , cuius partes separatis sumptæ nihil significant . 1° . Dicitur vox (de voce autem suprà) 2° . Additur finita , ut distinguatur à verbo infinito , quod est negatio verbi potius quam verbum , quale est non amare : 3° . Subiungitur recta , ut excludatur casus verbi , qui vox est obliqua , non recta , omnes autem modi præter indicatiūm censentur casus verbi , non verbum . 4° . Dicitur ex instituto significans , ut rejiciantur voces quæ vel ni-

hil significant, vel ex instituto non significant, ut suprà, 5º. Subiungitur *cum tempore*, significare autem cum tempore est, primariò significare rem, & secundariò aliquam differentiam temporis, in qua est, vel fuit, ut currit, quod primariò significat cursum, & secundariò tempus præsens in quo fit: postremò dicitur *cuius partes separatum sumptæ nihil significant*, vt differat ab oratione complexa, cuius partes diuisim sumptæ aliquid significant, verbi gratia partes istius propositionis, Petrus est lapis. Hactenus de nomine & verbo locuti sumus, quippe sunt enuntiationis partes, nunc de oratione complexa, quæ genus est enuntiationis agemus.



CAPVT III.

De oratione complexa.

ORATIO complexa est vox ex instituto significans, cuius partes separatum

sumptæ aliquid significant: per primam & secundam partem definitionis, quæ sunt *vox ex instituto significans* oratio conuenit, cum nomine, & verbo, per tertiam vero & ultimam distinguitur à nomine & verbo, nam partes orationis separatim sumptæ aliquid significant saltem ut dictiones, verbi gratia partes istius orationis, Petrus est homo, nam Petrus aliquid significat, homo etiam aliquid designat; partes vero nominis vel verbi diuisim sumptæ, nihil significant (ut suprà.)

Oratio complexa est duplex, una enuntiatiua, altera non enuntiatiua: enuntiatiua est ea quæ significat verum vel falsum, ut Petrus est homo, Petrus est lapis: oratio non enuntiatiua est ea quæ neque verum neque falsum significat, & est multiplex, scilicet, vel optatiua, vel imperans, vel interrogans, &c. Optatiua vt.

O mihi preteritos referat si Iupiter annos,

Imperans vt,

Vade age nate, voca zephyros, & labere pennis,

*Interrogans vt ,
Dic mihi damata , cuium pecus ?*

Oratio non enuntiativa pertinet ad Poëtas & Rethores, enuntiativa verò à Logicâ consideratur , & est ipsa enuntiatio , de qua in cap. sequenti.



CAPVT IV.

De enuntiatione quid sit.

ENVNTIATIO & propositio promis-
cuè usurpantur à quibusdam Philoso-
phis, nos tamen aliquam inter eas diffe-
rentiam agnoscimus, nam eadem oratio
quando est in syllogismo dicitur propositio
quasi præpositio, quia præponitur con-
clusioni, non verò nominatur enuntiatio:
præterea omnis propositio siue vocalis siue
mental is dici potest propositio, sola verò
propositio vocalis nominari potest enun-
tiatio , vnde Philosophus docet lib. de

Inter-

Interpretatione cap. 5. enuntiationem
esse φωνὴν σηματικὴν &c. Id est *vocem significativam*.

Enuntiatio definitur ab eodem Philosopho, loco jamjam laudato, φωνὴν σηματικὴν τῇ ἐπάρχειν τὴν μὲν ἐπάρχειν, id est *vox significans aliquid inesse, vel non inesse*: definitur etiam, *oratio significans verum, vel falsum*: sed istae descriptiones sunt potius diuisiones enuntiationis, quam eius definitiones, quandoquidem enuntiatio solet diuidi, in *affirmantem*, quæ significat aliquid inesse, & in *negantem* quæ significat aliquid non inesse: in *veram* & *falsam*, non tamen speni debent illæ definitiones, a nobis igitur definitur *oratio enuntians unum de alio*: in qua definitione *oratio* habet locum generis, & reliqua verba locum habent differentiæ: enuntiatio duabus constat partibus, scilicet *materiâ* & *formâ*: materia sunt subiectum & prædicatum. forma enuntiationis, est *dispositio secundum quam unum enuntiatur de alio*.

(scilicet attributum de subiecto) mediante copula verbalis, est: quare ut plenius intelligamus enuntiationis naturam, videndum est quid sit subiectum, quid attributum, & quid copula verbalis: subiectum est, id quod subiicitur attributo: & attributum est id quod attribuitur subiecto: & copula verbalis est, verbum substantivum (est) enuntians attributum de subiecto: dicitur copula quia copulat attributum cum subiecto quatenus enuntiat attributum de subiecto: dicitur verbalis, quia est verbum: quæ omnia clarè patent, in hac propositione, Petrus est homo in qua Petrus est subiectum: homo attributum: est, copula verbalis, ubi.

Nota 1º. Copulam verbalem, contineri in omni enuntiatione, vel explicitè, vel implicitè: explicitè quando exprimitur ut in hac, petrus est homo, implicitè quando non exprimitur sed inuoluitur in attributo, ut in istâ, Petrus currit, quæ potest resolui in hanc propositionem Petrus est currens.

Nota 2º. Aliquando subiectum, copulam verbalem, & attributum distinctè, & separatim contineri in propositione, vt in hac Petrus est albus, aliquando verò copula verbalis, et attributum non propoununtur distinctè, sed inuoluuntur in eodem verbo, vt quandò dico Petrus currit, in quâ hoc verbum currit inuoluit copulam verbalem, & attributum, nam currit idem est, ac est currens, aliquando etiam subiectum, copula verbalis, & attributum simul inuoluuntur in eodem verbo, vt dum dico ningit, nam ningit valet hanc propositionem nix est cadens.

Nota 3º. & vltimò, vt enuntiatio sit categorica & formalis requiri ut subiectum & attributum distinguantur inter se aliquatenus, si verò nullo modo distinguantur propositio est identica & nugatoria vt Petrus est Petrus.





CAP V.

Quotuplex sit enuntiatio.

VIDIMVS quid sit enuntiatio , nunc
(juxta ordinem suprà propositum)
videndum est quotuplex sit , siue traden-
da est ejus diuisio in suas species.

Enuntiatio diuiditur in *directam* & *in-
directam* : directa est *ea in qua superius præ-
dicatur de suo inferiori* , vt Petrus est homo:
indirecta est *ea in qua inferioris prædicatur de
suo superiori* , vt homo est Petrus : directa
subdiuiditur in *binariam* & *ternariam* : bi-
naria est *ea quæ constat duobus tantùm terminis* :
vt Petrus currit . ternaria est *ea quæ
constat tribus terminis* : scilicet subiecto , at-
tributo , & copulâ verbali est , vt Petrus est
animal : prior vocatur enuntiatio *secundi
adiacentis* , posterior verò dicitur proposi-
tio *tertij adjacentis*.

Enuntiatio ternaria siue *tertij adjacentis*

tis diuiditur tribus modis. 1º. Ratione, materia, 2º. Ratione quantitatis, 3º. Ratione qualitatis.

Ratione materiæ diuiditur in necessariam, impossibilem, contingentem, & possibilem: necessaria est ea cuius attributum conuenit necessariò subiecto: ut Petrus est homo, nam homo necessariò conuenit Petro. impossibilis est ea cuius attributum non potest conuenire subiecto: ut Petrus est lapis, enuntiatio contingens est ea cuius attributum potest conuenire subiecto, vel non conuenire: qualis est ista Petrus currit, nam non currit potest conuenire Petro, vel non conuenire, enuntiatio possibilis est ea cuius attributum non conuenit quidem subiecto, sed potest conuenire: qualis est ista Petrus currit, quando reuerá non currit.

Enuntiatio diuiditur ratione quantitatis in vniuersalem, particularem, indefinitam & singularem: vniuersalis est ea cuius subiectum vniuersale, habet notam vniuersalitatis sibi præfixam: ut omnis homo est albus,

omnis homo est animal : particularis est ea
cujus subjectum vniuersale habet notam par-
ticularitatis sibi præfixam : vt aliquis homo
ambulat. enuntiatio indefinita est ea cuius
subjectum vniuersale nullam habet notam
vniuersalitatis , vel particularitatis sibi præ-
fixam: vt homo currit. enuntiatio singula-
ris est ea cuius subjectum est singulare: vt Pe-
trus currit. enuntiatio vniuersalis est du-
plex vna collectiua , altera distributiua: col-
lectiua est ea cuius attributum conuenit sub-
jecto collectiue sumpto: id est facta collectio-
ne omnium, vt omnes Apostoli sunt duo-
decim , nam attributum , scilicet duode-
cim conuenit subjecto scilicet Apostolis
collectiue sumptis , siue facta collectione
omnium Apostolorum , nam sumpti di-
uisim non sunt duodecim , sed sumpti
conjunctim. enuntiatio vniuersalis distri-
butiua est ea cuius attributum conuenit sub-
jecto distributiue sumpto : id est conuenit
subjecto , & omnibus inferioribus subie-
cti diuisimi sumptis , qualis est hæc, omnis

homo est animal , nam attributum scilicet animal, conuenit homini, & omnibus inferioribus hominis diuisim consideratis, nam Petrus est animal , Paulus est animal, & sic de cæteris : enuntiatio vniuersalis distributiua est duplex vna est distributiua *in singula generum* , & alia *in genera singulorum* : distributiua in singula generum est ea cuius attributum conuenit subiecto , & omnibus singularibus sub subiecto contentis: ut ista omnis homo est animal , nam animal conuenit homini, & omnibus singularibus sub homine contentis : enuntiatio vniuersalis distributiua in singula generum est adhuc duplex vna *absoluta* altera *limitata* : absoluta est ea cuius attributum conuenit subiecto , & omnibus singularibus sub subiecto contentis nulla facta exceptione: ut ista omnis homo est rationalis , nam rationale quod est attributum conuenit omnibus hominibus nullo excepto . limitata est ea cuius attributum conuenit subiecto , & omnibus singularibus sub subiecto

*contentis cum aliqua exceptione: vt quando dicitur Deum subjecisse omnia pendibus Christi, nam subiecta fuisse quod est attributum conuenit omni enti, praeterquam ipsi Deo qui omnia subjecit. enuntiatio vniuersalis distributiua in genera singulorum est, ea cuius attributū conuenit subiecto & omnibus generibus sub subiecto contentis: vt Deus vult omnes homines saluos fieri, nam saluos fieri quod est attributum conuenit subiecto scilicet homini, & omnibus generibus hominum. enuntiatio vniuersalis distributiua in genera singulorum est etiam duplex, una *absoluta*, altera *limitata*: absoluta est ea cuius attributum conuenit subiecto & omnibus generibus sub subiecto contentis sineulla limitatione: vt superior propositio, nam saluos fieri quod est attributum conuenit omnibus hominum generibus sineulla limitatione: limitata est ea cuius attributum conuenit subiecto, & omnibus generibus sub subiecto contentis cum aliqua limitatione: vt*

quando dicitur in scriptura omne animal
fuit in arca Noë, nam fuisse in arca
Noë quod est attributū conuenit animali
& omnibus generibus animalium cum
aliqua limitatione, nam excipi debet ge-
nus animalium aquatilium vel amphibio-
rum quæ poterant conferuari in aquis.

Enuntiatio diuiditur ratione qualitatis
1º. In veram & falsam: vera est ea quæ est
conformis obiecto suo, ut homo est animal,
falsa est ea quæ est difformis obiecto suo: ut
Petrus est lapis. 2º. Diuiditur in affirm-
mantem & negantem; affirmans est ea in qua
attributum affirmatur de subiecto: ut Petrus
est homo, negans est ea in qua attributum
negatur de subiecto: ut Petrus non est lapis,
vel affirmans est ea quā vnum dicitur esse
aliud vel esse in alio: negans verò est ea quā
vnum dicitur non esse aliud, vel non esse in
alio. 3º. Diuiditur infinitam & infinitam:
finita est ea quæ constat subiecto & attributo
finitis: ut Petrus est animal: terminus au-
tem dicitur finitus quando non habet

notam negandi sibi præfixam, ut homo; infinitus verò est quandò habet notam negandi sibi præfixam ut non homo (quod vide suprà:) Enuntiatio infinita est ea quæ constat vel subiecto & attributo infinitis, vel alterutro saltē infinito : ut non homo est non lapis, non homo est lapis, homo est non lapis. Vbi obserua, ut propositio sit negans, notam negandi debere poni immediate antè copulam verbalem, ut Petrus non est albus, si verò ponatur vel antè subiectum, vel post copulam sit infinita ut non Petrus est albus, Petrus est non albus. obserua etiam propositionem secundi adjacentis posse fieri infinitam ratione subiecti, sed nunquam potest fieri infinita ratione attributi, quia si ponatur nota negandi ante attributum semper erit forma liter negans verbi gratia, in hac propositione homo currit, ponatur nota negandi antè nō currit, homo non currit est propositio negans non infinita. 4°. Diuiditur ratione qualitatis in *simplicem* & *compositam*

eam: enuntiatio simplex est ea quæ constat
subiecto simplici & attributo simplici: vt ho-
mo est animal, composita est ea quæ constat
vel subiecto composito & attributo simplici,
vel attributo composito & subiecto simplici,
vel utroque composito: vt Petrus & Paulus
sunt Philosophi, Petrus est Philosophus
& Medicus, Petrus & Paulus sunt Philo-
sophi & Medici, benè autem dicitur com-
posita, nam potest resoluti in plures sim-
plices, verbi gratia, hæc propositio Pe-
trus & Paulus sunt Philosophi, potest re-
soluti in istas duas, Petrus est Philosophus,
Paulus est Philosophus: simplex subdivi-
ditur in puram & modalem: enuntiatio sim-
plex pura est ea quæ constat puro subiecto &
puro attributo: id est subiecto & attributo
sine modo, vt homo est animal. modalis
est ea quæ constat subiecto, attributo & mo-
do: vt ista necessarium est hominem esse
animal. vbi notabis modum esse dupli-
cem vnum materialem, alterum formalem:
materialis est ille qui modificat subiectum

vel attributum, ut solus homo est rationalis, Petrus currit velociter, hic modus dicitur materialis quia modificat materiam propositionis, quae materia est subiectum vel praedicatum, modus formalis est ille qui modificat formam propositionis & ostendit quomodo attributum conueniat subiecto vel non conueniat subiecto: ut contingens est Petrum currere, ubi non contingens indicat quomodo non currere quod est attributum conueniat subjecto scilicet Petro, hic intelligendus est modus formalis qui est quadruplex, scilicet necessarium, impossibile, contingens & possibile: ad enuntiationes modales reuocari possunt propositiones quae vocantur exclusiæ, exceptiæ, & reduplicatiæ: propositio exclusiua est ea in qua particula exclusiua additur subiecto vel praedicato: ut solus homo est rationalis, reprobi habent fidem historicam tantum: particulæ autem exclusiæ sunt, verbi gratia tantum, solum, dumtaxat, &c. propositio exceptiua est ea in qua particula

exceptiuā additur subiecto vel prædicato: vt omne animal præter brutum est rationale, reprobi habent quamlibet fidem præter salutarem: propositio reduplicatiua est ea in qua particula reduplicatiua additur subiecto. vt homo qua homo est rationalis, istæ propositiones vulgo vocantur exponibiles, quia duabus opus est propositionibus, ut exponantur verbi gratia ista, solus homo est rationalis exponitur per istas homo est rationalis, & alia res non est rationalis &c.

Enuntiatio composita subdiuiditur in hypotheticam, coniunctiuam, disiunctiuam aduersatiuam & relatiuam: hypothetica est ea cuius partes particula conditionali si coniunguntur: vt si sol lucet dies est: coniunctiuam est ea cuius partes particula coniunctiuam coniunguntur: vt petrus & paulus ambulant. disiunctiuam est ea cuius partes particula disiunctiuam coniunguntur: vt aut dies est aut nox est. aduersatiuam est ea cuius partes particula aduersatiuam coniunguntur: vt illa propositio non formosus erat, sed erat facundus Vlys-

ses. relatiua est ea cuius partes paricula relatiua coniunguntur: vt vbi erit corpus mortuū ibi congregabuntur aquilæ hic autem.

Notabis 1°. nō contingens & nō possibile non distingui realiter, sed formaliter: nam vna & eadem res est contingens & possibilis, sub diversa ratione formalis dicitur contingens quatenus potest esse vel non esse, dicitur possibilis quatenus non est sed potest esse.

Notabis 2°. notam vniuersalitatis scilicet *omnis* vel *nullus*, & notam particularitatis scilicet *aliquis* vel *quidam* dici notam quantitatis metaphoricè & per analogiam, quia sicut quantitas extendit vel contrahit materiam ita eiusmodi particulae extendunt vel contrahunt propositionem.

Notabis 3°. propositionem finitam negantem & infinitam affirmantem esse æquivalentes modò adsint sequentes conditiones, 1°. Si sit infinita ratione attributi non subiecti, 2°. Ratione totius attri-

hut non alicuius partis attributi tantum:
& porrò modò subiectum non sumatur
reduplicatiuè; defectu primæ conditionis
istæ non sunt æquivalentes non homo est
animal, & homo non est animal, nam pri-
or est vera, siquidem brutum quod est non
homo est animal, & posterior falsa: non
sunt autem æquivalentes quia prior est
infinita ratione subiecti non verò ratione
attributi: defectu secundæ conditionis
istæ non sunt æquivalentes Deus potuit
non creare mundum, Deus non potuit
creare mundum, nam prior est vera &
posterior falsa, non sunt verò æquivalentes,
quia prior est infinita ratione alicuius
partis attributi non totius attributi, to-
tum attributum est nō potuit creare mun-
dum non verò nō create mundum vndè
debuit dici Deus fuit non potens creare
mundum (sed hoc est euidenter falsum)
vt colligeretur ista propositio æquipol-
lens, Deus non potuit creare mundum:
Defectu tertiae conditionis istæ non sunt

æquipollentes homo quâ homo non est
albus , homo quâ homo est non albus,
nam prior est vera & posterior falsa , non
sunt autem æquipollentes quia subiectum
sumitur reduplicatiuè.

Notabis 4° . & vltimò in propositione
hypothetica , tria esse distinctè confide-
randa , scilicet *antecedens* , *consequens* , &
consequentiam , quæ fit mediante particula
hypothetica , si: Antecedens est *prior pars*
propositionis , quæ *antecedens* dicitur , quia
antecedit , consequens est *posterior pars*
eiusdem propositionis , quæ *consequens* dici-
tur , quia sequitur priorem partem , con-
sequenta est *connexio antecedentis cum*
consequenti , quæ fit mediante particula
hypotheticasi: ut si petrus est homo est ani-
mal , in qua , petrus est homo , est antece-
dens , est animal , est consequens , nexus
verò prioris partis cum posteriori , qui fit
per particulam si , est consequentia.

Vbi obserua veritatem propositionis
hypotheticæ dependere à veritate solius
conse-

consequentiæ, non verò à veritate consequentis, vel antecedentis: vndè fieri potest, vt antecedens & consequens sint falsa, & tamen propositio sit vera, quia consequentia est vera, vt si Leo habet alas, volare potest, nam antecedens est falsum, scilicet Leo habet alas, consequens etiam est falsum, scilicet volare potest, tamèn propositio est vera, quia ista consequentia est vera, si Leo habet alas volare potest: & vice versa potest fieri, vt antecedens & consequens sint vera, & tamèn propositio sit falsa, quia consequentia est falsa, vt si Petrus est animal, Petrus est homo, nam antecedens, scilicet Petrus est animal, est verum, consequens etiam est verum, scilicet petrus est homo, tamèn propositio est falsa, quia ista consequentia est falsa, scilicet si Petrus est animal, petrus est homo.



CAPVT VI.

De proprietatibus enuntiationum.

SVPR A vidimus quid sit, & quotu-
plex enuntiatio, nunc de proprieta-
tibus enuntiationum nobis est edifferen-
dum.

Proprietates autem enuntiationum sunt
tres scilicet *oppositio*, *conuersio*, & *equipol-
lentia*.

Oppositio est *pugna duarum propositio-
num, constantium eodem subiecto, & eodem
attributo, secundum qualitatem vel quanti-
tatem*: ut omnis homo est albus, nullus
homo est albus, quæ propositiones con-
stant eodem subiecto, & eodem attributo,
& pugnant secundum qualitatem, nam
una est affirmans, altera verò negans: vbi
notabis per qualitatem propositionis, in-
telligendam esse affirmationem, vel ne-
gationem, & per quantitatem intelligen-

dam esse vniuersalitatem vel particularitatem: 1°. Dicitur *pugna duarum propositionum*, vt distinguatur ab oppositione simplici, quæ est pugna duorum terminorum simplicium, sed non duarum propositionum: Additur *constantium eodem subiecto, & eodem attributo*, quia si non habeant idem subiectum, & etiam idem attributum, propriè non opponuntur: vt petrus studet, paulus non studet, petrus studet, petrus non orat: 3°. Subiungitur secundum qualitatem, vt comprehendantur propositiones contrariæ, subcontrariæ, & contradictentes, quæ pugnant secundum qualitatem, & propriè opponuntur. Porro adiicitur, vel secundum quantitatem, vt comprehendantur propositiones subalternæ, quæ pugnant, secundum quantitatem tantum: oppositio enuntiationum est quadruplex, scilicet, *contraria, subcontraria, subalterna, & contradictoria*: oppositio contraria est oppositio duarum propositionum vniuersalium secundum qualitatem: vt

omnis homo est albus , nullus homo est
albus , quæ ambæ sunt vniuersales , & pu-
gnant secundùm qualitatem , nam prior
est affirmans , posterior verò negans . Oppo-
sitio subcontraria est *oppositio duarum
propositionum particularium secundum quali-
tatem* : vt aliquis homo est albus , aliquis
homo non est albus . Oppositio subalterna
est *oppositio duarum propositionum secun-
dum quantitatem tantum* : id est secundum
vniuersalitatem , & particularitatem , vt
omnis homo est albus , aliquis homo est
albus , quæ non pugnant secundum qua-
litatem , nam ambæ sunt affirmantes , sed
pugnant secundum quantitatem , prior
enim est vniuersalis , & posterior particu-
laris : sed hæc oppositio , non est propriè
dicta pugna , quia quantitas non est princi-
pium veræ pugnæ : oppositio contradictio-
ria est triplex , scilicet in 1º. genere , in 2º.
& in 3º. oppositio contradictoria in 1º. ge-
nere , est *oppositio duarum propositionum se-
cundum qualitatem* , & *secundum quantita-*

tem: ut omnis homo est animal, aliquis homo non est animal: quæ pugnant secundum qualitatem, nàm prior est affirmans, & posterior est negans, pugnant secundum quantitatem, nam prior est vniuersalis, & posterior est particularis; oppositio contradictoria in 2°. genere est *oppositio duarum propositionum indefinitarum, secundum qualitatem:* ut homo currit, homo non currit, quæ sunt indefinitæ, quia earum subiectum nullam habet notam quantitatis sibi præfixam, & deinde pugnant secundum qualitatem, nam prior est affirmans, & posterior negans: ubi notandum est propositiones indefinitas posse formari in duplii materia, vel in materia necessaria, vel in materia contingenti: si fiant in materia necessaria æquipollent vniuersalibus verbi gratia, illa propositio homo est animal, æquipolleat huic omnis homo est animal: in materia verò contingentia æquipollent particulari, verbi gratia ista homo currit, æquipolleat huic, aliquis

homo currit: debet etiam h̄ic obseruari, propositiones indefinitas in materia necessaria, vel impossibili censeri contradictentes, quia nunquam sunt simul veræ, vel simul falsæ, sed una semper est necessariò vera, & altera falsa, (sicut contradictentes) verbi gratia homo est animal, homo non est animal, homo est lapis, homo non est lapis; indefinitæ verò in materia contingentí non censentur contradictentes, quia ambæ sunt simul veræ, vt homo currit, homo non currit, nam Petro currente, & Paulo non currente, vtraque est vera: oppositio contradictoria in 3°. genere est *oppositio duarum propositionum singularium secundum qualitatem*: vt Petrus currit, Petrus non currit, quæ singulares sunt, quia eorum subiectum est singulare, & pugnant secundùm qualitatem, nam una affirmat, altera negat: vbi.

Nota 1°. Propositiones contrarias posse esse simul falsas: scilicet in materia contingentí, vt omnis homo currit, nullus

homo currit : sed nulla est materia in qua possint esse simūl veræ , quia duo contraria non possunt esse simul.

Nota 2º. Enuntiationes subcontrarias posse esse simul veras , scilicet in materia contingentia , ut aliquis homo est Philosophus , aliquis homo non est Philosophus ; sed nunquam possunt esse simul falsæ , nam si fiant in materia necessariâ , vel impossibili , vna est necessariò vera , & altera falsa , ut aliquis homo est animal , aliquis homo non est animal , aliquis homo est lapis , aliquis homo non est lapis : ratio propter quam non possunt esse simul falsæ , est quia si essent simul falsæ , contrariæ essent simul veræ , (quod est impossibile ut suprà diximus) consequentia verò est aperta , nam propositiones falsæ habent suas contradictorias veras , quia duarum propositionum contradicentium vna est necessariò vera , & altera falsa , atqui subcontrariæ (ex prædicta suppositione) sunt simul falsæ , ergo habent suas contradictorias

veras, contrariæ autem addita, vel dempta negatione contradicunt subcontrarijs, vt omnis homo est justus contradicit huic, aliquis homo non est justus, & ista propositio, nullus homo est justus, contradicit huic, aliquis homo est justus, nam pugnat secundum quantitatem & qualitatem: unde patet quod si subcontrariæ sunt simul falsæ, contrariæ debeant esse simul veræ.

Nota 3º. Propositiones subalternas posse esse simul veras, scilicet in materia necessaria, vt omnis homo est animal, aliquis homo est animal, posse esse simul falsas, scilicet in materia impossibili, vt omnis homo est lapis, aliquis homo est lapis, in materia verò contingenti vna est vera, & altera falsa, vt omnis homo currit, aliquis homo currit: vbi notabis ex veritate subalternantis quæ est propositio vniuersalis se qui veritatem propositionis subalternatae quæ est particularis, vt si verum est omnem hominem esse animal, sequitur aliquem hominem esse animal, ex veritate,

verò subalternatæ, non sequitur veritas subalternantis, nam etiam si verum sit aliquem hominem currere, non propterea sequitur omnem hominem currere, si vero subalternans sit falsa non propterea necessariò sequitur subalternatam esse falsam, ut omnis homo currit, aliquis homo curit: quarum prior est falsa, & posterior vera.

Nota 4º. Propositiones contradictentes nunquam posse esse simul veras, vel simul falsas (ut aliæ) sed necessariò una est vera, & alia falsa, quia dicunt rem esse, & non esse, res autem necessariò est vel non est (non verò est, & non est simul) juxta principium Metaphysicæ, quod Aristoteles vocat *αρχὴν βεβαιωτάτην*, id est principium firmissimum, lib. 3. Metaph. cap. 4.

Nota 5º. Oppositionem contradictoriam esse duplicem unam simplicem, alteram complexam: simplex est intèr terminos simplices qualis est ista homo non homo, de quâ in postprædicamentis actum

fuit. Complexa est int̄er propositiones de quājamjam loquiti sumus.

Nota 6°. Et vltimò ad constituendam legitimam contradictionem, quatuor conditiones requiri, quas recenset Philosophus, lib. de Sophisticis elenchis, cap. 5°. Idem attributum debet referri, τοις τῷ αὐτῷ και τῷ αὐτῷ ὀστεωῖς, οἷς εἰ τοῦ αὐτῷ χερῷ, id est ad idem, secundum idem, eodem modo, & eodē tempore: ad idē hoc est, ad idem subiectum: secundūm idem, hoc est, secundum eandem partem, vel facultatem subjecti: eodem modo, hoc est, attributum debet sumi in eadem significatione: eodem tempore, hoc est, attributum debet dici de subjecto eodem instanti: defectu primæ conditionis, istæ non contradicunt Saül fuit Apostolus, Saül non fuit Apostolus, nam in priori propositione, attributum scilicet Apostolus, refertur ad Saülem qui fuit Paulus, & in posteriori refertur ad Saülem qui fuit Rex Israëlitarum. Defectu secundæ, istæ non contradicunt, Æthyops est niger,

Æthyops non est niger , nam in priori, intelligitur esse nigrum secundūm faciem, & in posteriori, intelligitur non esse nigrum secundum dentes. Defectu tertiae, istæ non contradicunt Diabolus credit, Diabolus non credit, nam in priori, intelligitur credere historicum , in posteriori verò credere salutare. Defectu quartæ conditionis, istæ non contradicunt Luna patitur Eclypsin , Luna non patitur Eclypsin , nam prior intelligitur de tempore quo terra interponitur inter Solem & Lunam , & posterior debet intelligi de illo tempore quo non interponitur terra.



CAPVT VII.

De conuersione

CONVERSIO est secunda proprietas enuntiationum , & definitur , mutatio subjecti in attributum , & attributi in sub-

jectum, manente eadem veritate, vt nullus homo est lapis, nullus lapis est homo.

Conuersio autem est triplex, scilicet per se, per accidens, & per contrapositionem: conuersio per se est mutatio subiecti in attributum, & attributi in subiectum seruatis eadem veritate, eadem quantitate, & eadem qualitate: vt omnis homo est rationalis, omne rationale est homo, manet eadem veritas, nam utraque est vera: manet eadem quantitas, nam utraque est vniuersalis: manet eadem qualitas, nam utraque est affirmans: conuersio per accidens est mutatio subiecti in attributum, & attributi in subiectum, seruatis eadem veritate, & eadem qualitate, sed non eadem quantitate: vt omnis homo est animal, aliquod animal est homo, ubi manet eadem veritas, nam utraque est vera, eadem qualitas, utraque enim est affirmans, sed non manet eadem quantitas, quia prior est vniuersalis, & posterior particularis: conuersio per contrapositionem, est mutatio subiecti in atri-

butum, & attributi in subiectum, seruatis eadem veritate, eadem quantitate, & eadem qualitate, sed mutatis terminis finitis in infinitos : vt omnis homo est animal, omne non animal est non homo : vbi.

Nota 1º. in omni conuersione duas esse propositiones, sc. *conuersam*, & *conuertentem*: conuersa est ea quæ conuertitur, conuertens est ea in quam conuersa conuertitur.

Nota 2º. Vniuersalem negantem, & particularem affirmantem conuerti conuersione per se, vt nullus homo est lapis, nullus lapis est homo, aliquis homo est Philosophus, aliquis Philosophus est homo. Vniuersalis affirmans, conuertitur conuersione per accidens, vt omnis homo est animal, aliquid animal est homo, si verò conuertatur conuersione per se, siue in aliam vniuersalem, hoc contingit ratione materiæ, & quia termini reciprocantur, vt omnis homo est rationalis, omne rationale est homo. Particularis negans conuertitur conuersione per contraposi-

tionem, ut aliquis homo est animal, ali-
quod non animal est non homo, si verò
aliquando particularis negans conuer-
tatur per se, legitimè conuertitur ratione
materiæ, sed non ratione formæ, nam si
conuersio esset legitima formaliter, vel ra-
tione formæ, sempèr particularis negans
posset conuerti per se (quod falsum est)
nam hæc propositio aliquod animal non
est homo, non potest conuerti in istam,
aliquis homo non est animal : si verò con-
uertatur aliquando per se, hoc contingit
ratione materiæ, ut aliquis homo non est
lapis, aliquis lapis non est homo, nam ex
eo quod aliquis homo non est lapis, non
sequitur aliquem lapidem non esse homi-
nem, sed ex eo quod nullus homo sit la-
pis sequitur aliquem lapidem non esse
hominem : hæc autem docentur his versi-
culis adjuvandæ memoriæ gratia.

*Simpliciter feci conuertitur Eu a per acci-
Asto per contrà, sic fit conuersio tota.*

In prædictis vocabulis quatuor sunt vo-

cales, sc: a, e, i, o: à significat vniuersalem affirmantem, è, vniuersalem negantem, i particularem affirmantem, o, particularem negantem; è igitur, & i, infeci, significant vniuersalem negantem, & particularem affirmantem conuerti per se, c & a in *Eua* significant vniuersalem negantem & vniuersalem affirmantem conuerti per accidens, a, & o, in *Asto* significant vniuersalem affirmantem & particularem negantem conuerti per contrapositionem: vndè patet vniuersalem negantem conuerti non tantum per se, sed etiam per accidens, ut nullus homo est lapis, aliquis lapis non est homo.

Nota 3º. In legitima conuersione, totum subjectum debere mutari in totum attributum, & totum attributum in totum subjectum, vndè non valet ista conuersio, Petrus videt lapidem, ergo lapis videt Petrum, nam lapis non est totum attributum, sed nō videns lapidem est totum attributū, quare ita debet conuerti, ergo aliquis videns lapidem est Petrus.

Nota 4°. Et vltimò conuersiones ejusmodi vsum habere quando syllogismi secundæ, & tertiarè figuræ, sunt reuocandi ad syllogismos primæ.



CAPVT VIII.

De æquipollentia.

ÆQUIPOLLENTIA tertia est & vltima proprietas enuntiationum quæ potest definiri *propositionum differentium verbis conuenientia in sensu*. Talis est æquipollentia quæ datur intèr istas propositiones, nonnullus homo est albus, aliquis homo est albus : vt autem facile cognoscamus æquipollentiam propositionum sciendum est *non omnis*, idem esse ac *quidam*, vndè non omnis homo est albus, aliquis homo est albus, sunt æquipollentes propositiones : *omnis non*, & *nullus* æquipollent, vndè æquipollent duæ istæ propositiones, *omnis*

omnis homo non est albus , nullus homo
 est albus : *nonnullus & aliquis* sunt etiā
 æquipollentes, vnde hæc propositio, non-
 nullus homo est albus , æquipollet isti,
 aliquis homo est albus ; *nullus non & om-
 nis* idem valent , vnde istæ propositiones
 eundem habent valorem , nullus homo
 non est animal , omnis homo est animal:
non aliquis & nullus æquipollent , quare
 æquipollēt istæ propositiones , non aliquis
 homo est lapis , nullus homo est lapis: *non
 quidam non & omnis* idem sonant , vnde
 eundem sensum habent istæ propositiones , omnis homo est animal , non aliquis
 homo non est animal , quæ omnia docen-
 tur memoriæ juuandæ gratia , his versi-
 culis. (nullus,

Non omnis quidam est: est omnis non quasi

*Nonnullus quidam , sed nullus non valet
 omnis ,* (omnis.

Non aliquis nullus: non quidam non valet

*Quæ diximus pertinent ad æquipollen-
 tiam propositionum absolutarum , quod*

spectat ad æquipollentiam propositionum modalium , sciendum est *necessæ & impossibile*, æquipollere si dictum affirmetur in vna, & negetur in alia propositione, verbi gratia istæ propositiones sunt æquivalentes , necessæ est hominem esse animal, impossibile est hominem non esse animal : vbi obseruandum est propositionem modalem duabus constare partibus scilicet *dicto & modo* : dictum est *propositio constans subiecto & attributo*, modus est *terminus qui preponitur subiecto, & modificat propositionem*, vt nō necessæ vel contingens &c. possibile, & impossibile, æquipollent, si modus affirmetur in vna propositione, & negetur in altera, impossibile est hominem esse lapidem , & non possibile est hominem esse lapidem: possibile & contingens æquipollent si modus & dictum eodem modo affirmentur, vel negentur in utraque , vt contingens est hominem currere , possibile est hominem currere ; contingens & necessæ æquipol-

lent, modo in vna modus & dictum affirmantur, in altera vero negentur: ut non contingens est hominem non esse animal, necesse est hominem esse animal.



PARS TERTIA
ET VLTIMA
COMPENDII
LOGICÆ,
IN QVA AGETVR DETERMINO
discursu, hoc est de argumentatione
vel syllogismo.

PRÆFATIO.

IN vestibulo huius Compendij, Logicam in tres partes diuidimus, quarum primam & secundam examinauimus, nunc tertia, & ultima, (quæ agit de termino discursu vel syllogismo) nobis supereft pertractanda; ubi 1°. Loquemur de argumentatio-

ne, vel syllogismo ostendendo quid sit: (quia
verò syllogismus constat duabus partibus es-
sentialibus scilicet materia & formâ) 2°. Edis-
seremus de materia syllogismi, quæ est duplex,
una simplex & remota, scilicet tres termini:
altera complexa & proxima, scilicet tres pro-
positiones, major, minor & conclusio. 3°.
Loquemur de forma syllogismi, quæ complecti-
tur figuram & modum. 4°. Videbimus quotu-
plex sit syllogismus & varias eius diuisiones
trademus, ubi de syllogismis fallacibus. 5°.
& vltimò per viam appendicis tractabimus
definitionem, diuisionem, ordinem & metho-
dum, & hac omnia fauente Deo.

CAPVT I.

De argumentatione, siue de syllogismo quid sit.

VOꝝ argumentationis sumitur duo-
bus modis, vel latè, vel strictè: latè
sumpta significat quemlibet syllogismum
siue popularē & Rheticum, siue Phi-
losophicum, quo sensu *exemplum* dicitur
argumentatio: strictè sumpta significat

cum syllogismum tantum qui pertinet ad Logicam, hic autem usurpatur strictè.

Argumentatio igitur strictè sunpta dicitur à Philosopho οὐλογισμός, siue syllogismus, quæ vox significat collectionem dicitur vero collectio quia colligit conclusionem ex præmissis: argumentatio autem siue syllogismus definitur ab Aristotele lib. prim. prior. Analytic. cap. primo, *Oratio in qua quibusdam positis, aliquid diuersum ab antepositis sequitur necessariò, èo quod talia sint*: dicitur oratio, ut conueniat cum enuntiatione, quæ est etiam oratio, vnde particula illa (*oratio*) tenet locum generis in definitione: quia vero oratio est vox sequitur hic definiri syllogismum vocalem, sed definitur in hoc loco quatenus est signum syllogismi mentalis (quem Logica considerat primariò & per se:) additur *in qua quibusdam positis*, id est præmissis dispositis in forma syllogistica: subiicitur aliquid diuersum ab antepositis, id est conclusio quæ est diuisa à

præmissis, per hanc particulam argumentatio distinguitur à conuersione, & quipollentia, &c. In quibus una propositio sequitur quidem ex alia, sed non est diuersa ab alia, constant enim ambæ propositiones ijsdem terminis, ut in hac conuersione nullus homo est lapis, nullus lapis est homo : additur, sequitur necessariò, eò quod talia sint: ubi intellige necessitatem consequentiæ, siue formæ syllogisticæ, id est conclusio sequitur necessariò propter tam dispositionem præmissarum, & sic verum est conclusionem sequi necessariò eò quod talia sint, siue eò quod tali modo dispositæ sint præmissæ: nota autem conclusionem semper necessariò sequi, non tam semper esse necessariam, nam conclusio contingens sequitur etiam necessariò ex præmissis, quare hic non debet intelligi necessitas consequentis vel materiæ, quæ non potest habere locum in omni syllogismo, sed intelligenda est necessitas consequentiæ siue formæ syllogisticæ.



CAPVT II.

De materia syllogismi.

SYLLOGISMVS constat duabus partibus, (ut suprà insinuauimus) sc: materiâ & formâ: materia syllogismi est *id ex quo componitur*: & est duplex , vna *simplex & remota*, altera *complexa & proxima*: materia simplex & remota syllogismi sunt tres termini, sc : *major*, *minor*, & *medius terminus*: qui dicuntur materia simplex, quia sunt termini simplices, ex quibus conflatur syllogismus , dicuntur materia remota , quia syllogismus componitur ex illis remotè , & mediantibus propositionibus: materia complexa & proxima syllogismi , Sunt tres propositiones, quarum prima dicitur *major*: secunda *minor*: & tertia appellatur *conclusio*; vocantur autem materia complexa , quia sunt integræ propositiones : dicuntur ma-

teria proxima, quia syllogismus resultat proximè & immediate ex illis, positis enim illis tribus propositionibus, statim sequitur syllogismus.

Materia igitù simplex & remota, sunt tres termini sc: major, minor, & medius: major terminus est *ille qui ponitur in majori cum medio termino*: vndè dicitur major, quia est in majori, & etiam quia in conclusione sempèr prædicatur de minori termino, & ita major est siue præstantior minori termino: minor terminus est *ille qui ponitur in minori propositione cum medio, & semper subiicitur in conclusione*. Medius est *ille qui ponitur in majori & in minori, & nunquam est in conclusione*: dicitur medius ratione officij, nam ostendit maiorem terminū inesse minori, vel non inesse minori: major terminus vocatur à Philosopho *majus extremum*: *majus*, quia cum prædicetur de minori, debet esse vniuersalior minori termino, vel saltèm ei æqualis: dicitur *extremum* quia est vna extrema pars, quæ con-

jungitur cum alia per medium terminum: minor terminus vocatur ab eodem Philosopho *minus extremum; minus*, quia vel non tam latè patet quam major terminus, vel saltè non est magis vniuersalis: medius terminus dicitur ab eodem, *medium*, ob rationem suprà dictam.

Materia complexa, & proxima syllogismi sunt tres propositiones, sc: *major*, *minor* & *conclusio*: quæ materia complexa conflatur ex materia simplici, sc. ex tribus terminis, sicut materia secunda componitur ex prima: prima propositio dicitur *major*, quia constat ex majori termino & medio termino: secunda propositio dicitur *minor*, quia componitur ex minori termino & medio: tertia & ultima propositio appellatur *conclusio*, quia concludit aliquid ex duabus præmissis ut patet in hoc syllogismo.

Omnis homo est animal

Atqui Petrus est homo

Ergo Petrus est animal.

In superiori syllogismo materia simplex & remota sunt illi tres termini sc. homo, animal, Petrus: animal est major terminus, homo est medius terminus, & Petrus est minor: materia complexa & proxima syllogismi sunt illæ tres propositiones, ex quibus positis statim resultat syllogismus: ubi notabis majorem & minorem propositionem dici præmissas, quia præmittuntur conclusioni.



CAPVT III.

De forma syllogismi.

FORMA syllogismi altera est ejus pars essentialis, de qua nunc agemus: duplex est forma partialis syllogismi, sc. figura & modus ex quâ duplice formâ partiali constat forma totalis syllogismi: figura est forma quæ informat materiam simplicem & remotam syllogismi, siue tres

terminos, vnde definitur *dispositio trium terminorum*: modus est *forma informans materiam proximam syllogismi* (scilicet tres propositiones) *secundum quantitatem*, & *qualitatem*: quare sicut duplex est *materia partialis syllogismi*, duplex est *eius forma partialis*, & sicut *vnica est materia totalis syllogismi*, ita *vnica est eius forma totalis*.

Figura igitur est *dispositio trium terminorum secundam quam medius terminus subiectum in majori, & predicatum in minori propositione*. Secunda figura est *dispositio trium terminorum secundum quam medius terminus est predicatum in majori & etiam in minori propositione*. Tertia figura est *dispositio trium terminorum secundum quam medius terminus est subjectum in majori & etiam in minori propositione*.

Prima figura habet quatuor modos, sc.
Barbara, **Celarent**, **Darij**, **Ferio**.

Secunda figura habet totidē modos, ni-
mirum, **Cesare**, **Camestres**, **Festino**, **Baroco**.

Tertia figura habet sex modos, videli-
cet, **Darapti**, **Felapton**, **Disamis**, **Datisi**,
Bocardo, **Ferison**: in quolibet vocabulo;
tres sunt syllabæ, quarum prima respon-
det majori, secunda minori, tertia con-
clusioni : & in illis omnibus vocabulis
quatuor sunt vocales, *a*, *e*, *i*, *o*: à signi-
ficat propositionem, cui respondet, debe-
re esse vniuersalem affirmantem : *e* signi-
ficat propositionem cui respondet, debere
esse vniuersalem negantem : *i* indicat
propositionem cui respondet, debere esse
particularem affirmantem : *o*, docet pro-
positionem cui respondet, debere esse par-
ticularem negantem : quæ, omnia docen-
tur his versiculis.

Afferit à, negat, è, sed vniuersaliter ambae

Afferit i, negat o, sed particulariter ambo.

Primus igitur modus primæ figuræ, sc.:

Barbara, petit, ut omnes propositiones
sint vniuersales affirmantes, quia a, in pri-
ma syllaba, respondet majori : a in secun-
da syllaba, respondet minori: & a in ter-
tia respondet conclusioni: *Celare*, vult
majorem vniuersalem negantem, mino-
rem vniuersalem affirmantem, & conclu-
sionem vniuersalem negantem: *Dari* re-
quirit majorem vniuersalem affirmantem,
minorem particularem affirmantem, &
conclusionem particularem affirmantem:
Ferio exigit majorem vniuersalem negan-
tem, minorem particularem affirmantem,
& conclusionem particularem negantem:
& de cæteris modis seruata proportione,
idem esto judicium: ex prænotatis colli-
guntur variæ regulæ, quæ pertinent ad
formam syllogisticam in communi, &
quæ sunt communes omnibus figuris.

Prima est: *in syllogismo debent esse tres ter-
mini, nec plures nec pauciores: ratio est quia
omnis Thesis siue sit probanda siue con-
futanda, constat duobus tantum terminis,*

scilicet *subjecto* & *atributo*: *subjectum* autem non potest ostendere sibi inesse *attributum*, nec *attributum* potest probare se inesse *subjecto*, quia nemo est in sua propria causa iudex: est igitur vocandus in auxilium tertius *testis*, qui est *medius terminus*, qui ostendat *attributum* inesse *subjecto*, vel non inesse *subjecto*, sufficiunt ergo tres illi termini: duo autem *medii termini* non possunt esse in syllogismo, quippè ad explorandum an illi duo *medii termini* conuenirent, vel pugnarent inter se, ad huc adhibendus foret alius *medius terminus*: contingit autem plures esse tribus terminis in syllogismo, vel ob homonymiam unius termini, vel propter mutationem nominis in casu, vel verbi in tempore, vel propter mutationem concreti in abstractum, & vice versa abstracti in concretum, vel propter aliquam additionem quæ sit ipsi medio termino &c.

Secunda regula est: *medius terminus* non debet ingredi *conclusionē* neq; pars *medii ser-*

mini: vnde peccat, hic syllogismus omnis
ars differt à scientia, at qui Logica non dif-
fert à scientia: ergo Logica non differt ab
arte: nam nō differt quod est pars medij in-
greditur conclusionem, vnde ortum est
hoc proverbium inter Philosophos, me-
dium concludere nescit: ratio propter quam
non potest esse in conclusione, est quia si
esset in conclusione, non concluderet ma-
jorem terminum de minori (quod con-
cludere debet) sed concluderet seipsum
de alio termino vel alium terminum de
seipso.

Tertia: major terminus debet esse prædicatum
in conclusione & minor terminus debet
esse subjectum: ratio est quia in figuris Ari-
stotelicis, fit descensus à superiori ad in-
ferius, vel saltēm nunquam fit ascensus ab
inferiori ad superiorius in scala categorica,
idcirco major terminus est semper supe-
rior minori, vel saltēm ei æqualis, & ita
debet esse prædicatum, & minor terminus
subjectum.

Quarta: nihil debes esse in conclusione quod non fuerit in præmissis: vnde peccat hic syllogismus omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo solus Petrus est animal, peccat hic syllogismus, quia partcula (solus) est in sola conclusione, & non apparet in præmissis.

Quinta: ex duabus propositionibus negantibus, non bene concluditur in vlla figura: vt nullus homo est brutum, atqui nullus equus est homo, ergo nullus equus est brutum. Ratio autem propter quam bene non concluditur ex negantibus, est quia vel Thesis est probanda, vel refutanda, si probanda, medius terminus debet habere connexionem cum majori termino, & etiam cum minori, ac proinde ambæ præmissæ debent esse affirmantes, si Thesis sit refutanda, debet habere connexionem cum alterutro, vel cum majori termino, & tunc major propositio est affirmans, & minor negans: vel cum minori termino, & tunc minor est affirmans, & major negans,

gans, quare vel ambæ præmissæ debent esse affirmantes, vel saltèm alterutra debet esse affirmans (quod clarè patet in tueri omnem Thesim quæ probatur, vel confutatur.)

Sexta regula ex duabus particularibus nihil sequitur inulla figura, sed necessariò alterutra debet esse vniuersalis : vnde hic syllogismus non concludit, aliquis homo est rex, atqui Petrus est homo, ergo Petrus est Rex : ratio est quia, vnum particula-re, non continetur sub alio particulari, sed omnia particularia continentur sub vniuersali, & ita ex particulari non potest colligi aliud particulare : ex duabus tamèn propositionibus singularibus, ali-quid sequitur in syllogismo expositorio, quia continent individuum determinatum, quod non potest sumi æquiuocè: syllogismus verò concludens ex particularibus includit individuum vagum, quod potest usurpari, vel pro hoc, vel pro illo singulari, & ita unus terminus sumitur

æquiuocè, & ita quatuor sunt termini.

Septima conclusio semper sequitur debiliorem partem: si alterutra præmissarum sit negans, conclusio etiā erit negans, si sit particularis, conclusio etiā erit particularis; negans autem est deterior affirmante: nām sicut *non esse* est nobilior *non esse*, ita propositio quæ dicit *rem esse* est nobilior èa, quæ dicit *rem non esse*; particularis est deterior vniuersali, quia particularis, inīd omnes particulares continentur sub vniuersali, & propositio vniuersalis est aliquid totum constans ex omnibus particularibus: ratio verò propter quam conclusio sequitur debiliorem partem, est quia sicut causa nobilior producit effectum nobiliorē, ita ignobilior producit effectum ignobiliorē, atqui quandò ambæ præmissæ sunt affirmantes, sunt causa nobilior, quam dum una præmissarum est negans, ergo quando ambæ sunt affirmantes debent producere effectum nobiliorē.

liorem , sc. conclusionem affirmantem . Quando verò una est negans , debent producere effectum ignobiliorum , sc. conclusionem negantem Similiter si ambæ præmissæ sint vniuersitales , sunt causa nobilior quād dum una præmissarum est particularis ; & sic quando ambæ præmissæ sunt vniuersales , conclusio debet esse vniuersalis , si verò alterutra particularis sit , conclusio etiam debet esse particularis .

Fundamentum autem omnium istarum Regularum est istud principium Mathematicorum (sc. in syllogismis affirmatiuis) quæ sunt eadem vni tertio , sunt eadem inter se : nam ex eo quod major terminus & minor , identificantur cum medio in præmissis , colligitur in conclusione identificari inter se , & (in syllogismis negantibus) fundamentum illarum regularum est hoc principium , quæ non sunt eadem vni tertio , non sunt eadem inter se , nàm ex eo quod major terminus , & minor

simul non identificantur cum medio, siue quia unus identificatur cum medio, & alius non identificatur cum medio concluditur eos non identificari inter se.



CAPVT IV.

De prima figura.

PRIMA figura est dispositio trium terminorum, secundum quam medius terminus subjicitur in majori, & prædicatur in minori, vt.

Omnis homo est corpus,
Atqui Petrus est homo,
Ergo Petrus est corpus.

Ille syllogismus est in prima figura, quia medius terminus sc: homo, est subjectum in majori, & prædicatum in minori.

Prima figura quatuor habet modos, (vt suprà) *Barbara*, *Celarent*, *Darij*, *Ferio*.

Barbara est modus primæ figuræ qui vult

omnes propositiones vniuersales affirmantes,

vt.

Bar omnis homo est rationalis,
 ba atqui omne risibile est homo,
 ra ergo omne risibile est rationale.

Celarent est modus primæ figuræ , qui
 vult majorem vniuersalem negantem , mino-
 rem vniuersalem affirmantem , & conclusio-
 nem vniuersalem negantem . vt.

Ce nullus homo est lapis,
 la atqui omne rationale est homo,
 rent. ergo nullum rationale est lapis.

Eadem est ratio definiendi cæteros mo-
 dos primæ , vel secundæ , vel tertiaræ figu-
 ræ : quorum exempla subiçere satis no-
 bis erit.

Da omnis homo est animal,
 ri atqui Petrus est homo,
 j. ergo Petrus est animal.

Fe nullus homo est lapis,
 ri atqui Petrus est homo,
 o. ergo Petrus non est lapis.

Hæc figura dicitur prima, ratione dignitatis : est autem omnium figurarum dignissima tribus de causis. 1º. Quia concludit cum majori certitudine, & cum majori evidentia, quandoquidem examinatur ad Regulam dici de omni, & de nullo, concludens vniuersaliter affirmatiuè, & etiam vniuersaliter negatiuè. 2º. Ratione usus, quia utilis est ad eliciendas quaslibet conclusiones, tūm vniuersales affirmantes, tūm vniuersales negantes, tūm particulares affirmantes, tūm particulares negantes. 3º. Quia medius terminus est medius non tantum ratione officij, sed etiam ratione situs, quia ponitur int̄er maiorem terminum, cui subjicitur, & minorem de quo prædicatur vnde ex Phil.lib.i. post. Anal. cap. ii. τὸν δὲ γνωστὸν ἐπισημανὸν καλεῖ περὶ τοῦ id est figurarum autem maximè scientifica est prima.

Ex prædictis colliguntur duæ regulæ quæ sunt speciales primæ figuræ: prior est, in prima figura major debet esse semper uni-

uersalis: posterior est: in prima figura minor debet esse affirmans: vnde hic versulus.

Sit minor affirmans, nec major sit specialis.

Vbi nota 1°. Dari minorem propositionem, quæ videtur affirmans & tamen est negans, ut in hoc syllogismo, omne rationale est animal, Solus homo est rationaliss. Ergo Solus homo est animal. nam particula exclusiva(Solus) facit propositionem de affirmante negantem: vnde vitio labrat hic syllogismus.

Nota 2°. Dari propositionem quæ videtur negans, & tamen est affirmans, ut ista, qui non est electus erit damnatus: videtur negans, quia copula minus principalis est negans; est tamen affirmans quia copula magis principalis est affirmans: copula minus principalis est ea quæ pertinet ad subjectum tantum vel ad attributum tantum: principalis est ea quæ pertinet ad subjectum & attributum conjunctim quatenus copulat attributum cum subjecto.

Vnde ut superior propositio fiat negans,
particula negandi debet poni antè non erit.

Nota 3º. Et ultimò syllogismum expo-
sitorum habere locum in hac figura: ut
Ioannes Baptista est præcursor Christi,
atqui Filius Zachariæ est Ioannes Baptista:
Ergo filius Zachariæ est præcursor Christi.
Sciendum est autem in syllogismo exposito-
rio medium terminum debere esse sin-
gularem & incommunicabilem multis:
vnde non valet hic syllogismus, Deus est
Pater, atqui Filius est Deus; Ergo Filius
est Pater: non valet inquam quia licet
Deus sit singularis, non tamen est incom-
municabilis multis (scilicet personis:)
dicitur *exppositorius*, quia cum medium
sit singulare & sensibile, clarius exponit
necessitatem consequentiæ: quia vero
medium singulare non potest prædicari
de alio ejusmodi syllogismus non potest
habere locum in secundâ figurâ.

CAPVT V.

De secunda figura.

SEcvnda figura est dispositio trium terminorum secundum quam medius terminus prædicatur in majori & etiam in minori propositione: habet autem quatuor modos scilicet, *Cesare*, *Camestres*, *Festino*, *Baroco*.

Ce nullus homo est Brutum
fa atqui omnis equus est Brutum
re. Ergo nullus equus est homo.

Ca omnis homo est animal
meſ atqui nullus lapis est animal
tres. Ergo nullus lapis est homo.

Fef nullus lapis est animal
ti atqui aliquis homo est animal
no. Ergo aliquis homo non est lapis.

Ba omnis homo est substantia
ro atqui albedo non est substantia
co. Ergo albedo non est homo.

Ex prædictis colliguntur hæ duæ regulæ speciales; prior est, *ex duabus affirmantibus nihil sequitur in secunda figura*: scilicet ratione formæ, nihil sequitur: nam ratione materiæ & quia termini reciprocantur conclusio potest sequi: ut omne rationale est risibile, omnis homo est risibilis, Ergo omnis homo est rationalis, posterior regula est: *conclusio in secunda figura debet esse semper negans*.



CAPVT VI.

De tercia figura.

TERTIA figura est dispositio trium terminorum secundum quam medius terminus subiicitur in majori & etiam in minori propositione, habet autem sex modos scilicet *Darapti*, *Felapton*, *Disamis*, *Datisi*, *Barcardo*, *Ferison*.

Da omnis homo est animal
rap atque omnis homo est rationalis

ti. Ergo aliquod rationale est animal.
Fe nullum animal est lapis
lap atqui omne animal est viuens
ton. Ergo aliquod viuens non est lapis.
Di aliquis homo est animal
fa omnis homo est rationalis
mis. Ergo aliquod rationale est animal
Da omne viuens est substantia
ti aliquod viuens est corpus
si. Ergo aliquod corpus est substantia.
Bo aliquis homo non est lapis
car omnis homo est animal
do. Ergo aliquod animal non est lapis.
Fe nullum animal est lapis
ri atqui aliquod animal est rationale
son. Ergo aliquod rationale nō est lapis.
Ex prædictis colliguntur hæ duæ regulæ
speciales.

Prior est, in tertiad figurâ minor debet esse
semper affirmans: posterior est: conclusio de-
bet esse semper particularis: his figuris Ari-
stotelis quartam addimus scilicet Galeni-
cam utpote optimam de quâ in curriculo
cum Deo.



CAPVT VII.

De reductione syllogismorum.

AXIOMA Metaphysicorum est : pri-
mum in unoquoque genere est mensura
veliquorum : prima autem figura est om-
nium figurarum prima (scilicet dignitate)
Vnde est mensura aliarum : & quod magis
vel minus syllogismi secundae, vel tertiae
figurae accedunt ad perfectionem syllogis-
morum primae figurae, eodem magis vel mi-
nus sunt perfecti : reducuntur igitur syllo-
gismi secundae vel tertiae figurae ad pri-
mam figuram, ut clarius pateat certitudo,
cum qua concludunt, quae est evidenter
in prima figura, quam in alijs : reducun-
tut etiam, ut nobis liqueat, primam, se-
cundam & tertiam figuram amicè conspi-
rare inter se : reducio est actio mentis redu-
centis syllogismos secundae, vel tertiae figurae,
ad syllogismos primae figurae.

Reductio est duplex, una directa vel ostensiva, altera indirecta vel per impossibile.

Reductio directa est ea quæ sit vel convertendo per se propositiones, vel convertendo per accidens propositiones, vel transponendo propositiones; transpositio est mutatio majoris in locum minoris, vel minoris in locum majoris: reductione directâ reducuntur omnes syllogismi secundæ vel tertiaræ figuræ præter syllogismos qui sunt in Baroco & Bocardo.

Reductio indirecta vel per impossibile est quando manente majori vel minori assumitur propositio contradictoria conclusionē syllogismi reducendi. Ut autem scias ad quos modos primæ figuræ sint reuocandi & qua ratione sint reducendi.

Obserua consonantes quæ sunt in illis modis, quarum aliæ sunt *initiales*, aliæ vero *mediae* vel *finales*: *initiales* sunt quatuor scilicet *b*, *c*, *d*, *f*, quarum valor situs est in eo quod significant modum primæ vel tertiaræ figuræ esse reuocandum ad modum

primæ qui habet eandem consonantem sibi initialem. Consonantes mediæ vel finiales sunt quatuor scilicet *s*, *p*, *m*, *c*, quæ significant propositionem cui respondent esse conuertendam vel per se, vel per accidens, vel esse transponendam; vel syllogismum esse reducendum reductione indirectâ siue per impossibile. *s* significat propositionem, cui respondet esse conuertendam conuersione per se: *p* significat propositionem, cui respondet esse conuertendam per accidens: *m* indicat unam præmissarum esse transponendam in locum alterius: *c* significat syllogismum esse reducendum per impossibile quæ docentur his verisiculis.

S vult simpliciter verti, *p* vero per acci.

M vult transponi, *c* per impossibile duci.

Cesare igitur qui est modus secundæ figuræ debet reuocari ad modum celarent, qui est modus primæ figuræ quia habent eandem consonantem sibi initialem scilicet *c*, reuocatur autem conuersa per se

majori, quia s responderet majori ut.

Ces nullus homo est lapis

a atqui omnis Saphirus est lapis
re. Ergo nulla Saphirus est homo.

Reducitur ad Celarent hoc modo.

Ce nullus lapis est homo

la atqui omnis Saphirus est lapis
rent. Ergo nulla Saphirus est homo.

Camestres modus secundæ figuræ re-
ducitur ad celarent modum primæ figuræ,
quia incipiunt ab eadem consonante ni-
mirum c, reducitur verò conuersa per se
minori quia s, responderet minori, con-
uersa etiām per se conclusione cui s,
responderet ut.

Ca omnis homo est animal

mes nullus lapis est animal

tres. Ergo nullus lapis est homo.

Reducitur autem hoc modo.

Ce nullum animal est lapis

la omnis homo est animal

rent. Ergo nullus homo est lapis.

De cæteris modis secundæ vel tertiaz

figuræ seruata proportione idem esto iudicium; excipe tamèn modos Baroco, & Bocardo qui non possunt reduci reductione directâ; quia si reducerentur, reducerentur ad Barbarâ, conuersâ per accidens majori in modo Baroco quia in illo modo, major est vniuersalis affirmans, quæ conuertitur per accidens (ut supra) conuersâ autem majori per accidens, syllogismus concluderet ex duabus particularibus (ex quibus nihil sequitur.) Similiter Bocardo non potest reduci directâ reductione ad Barbara, quia minor, quæ est vniuersalis affirmans esset conuertenda per accidens, vnde concluderet ex duabus particularibus (quod non potest fieri.) Sed hi duo modi reducuntur ad Barbara reductione indirectâ quæ vocatur *reductio ad impossibile*, quia adversarius cogit fateri, vel te male negasse conclusionem syllogismi qui reducitur, vel duas propositiones contradictentes esse simul falsas (quod est omnino impossibile) Baroco autem reducitur indirectè ad Barbara,

bara, manente semp̄ majori & assump-
ta propositione contradicente conclusiōni
syllogismi reducendi & in locum minoris
substitutā vt.

Ba omnis homo est animal
ro aliquis lapis non est animal
co. Ergo aliquis lapis non est homo.

Reducitur hoc modo.

Bar omnis homo est animal
ba omnis lapis est homo
ra. Ergo omnis lapis est animal.

Hæc conclusio est falsa debet igitur se-
qui ex aliquâ præmissarum falsâ (scilicet
quando de cætero syllogismus non peccat
ratione formæ) atqui major non est fal-
sa, falsa est igitur minor, sed minor con-
tradicit conclusiōni syllogismi qui est in
modo Baroco, ergo vera erat illa conclu-
sio ac proinde malè negata fuit: sequitur
autem eam esse veram, quia duarum pro-
positionum contradictientium una est ne-
cessariò vera & altera falsa: Bocardo redu-
citur etiam eodem modo manente sem-

per minori & assumptā propositione contradicente conclusioni syllogismi reducendi ut

Bo aliquis homo non est lapis
car atqui omnis homo est animal
do. Ergo aliquod animal non est lapis.
Bar omne animal est lapis
ba omnis homo est animal
ra. Ergo omnis homo est lapis.



CAPVT VIII.

Quotplex sit syllogismus sine de divisione syllogismi.

SV PRA vidimus quid sit syllogismus, Iam de ejus materia quā proxima quā remota edisseruimus, ejus formam, tum figuram, tum modum considerauimus: nunc ex ordine quem nobis ipsis præscripsimus, inquirendum est quotplex sit syllogismus, & variæ ejus divisiones nobis sunt percurrentæ.

Syllogismus igitur diuiditur duobus modis, primò ratione qualitatis: secundò ratione materiæ: ratione qualitatis diuiditur multis modis: primò in affirmantem & negantem, affirmans est ille qui constat ambabus præmissis affirmantibus: negans est ille qui constat alterutram præmissarum negante. Secundò diuiditur in finitum & infinitum: finitus est ille qui constat ambabus præmissis finitis: infinitus est ille qui constat ambabus præmissis infinitis vel saltem alterutram (quid sit propositio finita vel infinita vide suprà). Tertio diuiditur in simplicem & compositum, simplex est ille qui constat ambabus præmissis simplicibus: compositus est ille qui constat vel ambabus præmissis compositis, vel saltem alterutra præmissarum composita: syllogismus simplex subdiuiditur in purum & modalem: purus est ille qui constat ambabus præmissis puris; modalis est ille qui constat vel ambabus præmissis modalibus, vel aliqua saltem præmissarum modali. Syllogismus simplex siue purus siue modalis est

duplex scilicet perfectus vel imperfectus, perfectus est ille qui constat tribus propositionibus scilicet majori, minori & conclusione: imperfectus est ille qui constat duabus tantum propositionibus: quarum prior vocatur antecedens: posterior dicitur consequens. Quales syllogismi imperfecti sunt entymema, induc^{tio} &c.

Syllogismus compositus subdividitur in hypotheticum, conjunctuum, disjunctuum, soritem, syllogismum ab enumeratione partium & dilemma: syllogismus hypotheticus est ille qui constat vel ambabus præmissis hypotheticis vel alterutra præmissarum hypothetica. Conjunctiuus est ille qui constat vel ambabus præmissis conjunctiuis, vel alterutra saltē præmissarum conjunctiua: disjunctiuus est ille qui constat vel ambabus præmissis disjunctiuis vel alterutra saltē præmissarum disjunctiua.

Sorites est syllogismus in quo attributum primæ propositionis fit subjectum secundæ donec congregatis multis propositionibus attribu-

rum ultimæ dicatur de subiecto prima.

Syllogismus ab enumeratione partium est: ille in quo enumeratis omnibus partibus vel una retinetur in conclusione vel nulla reginetur.

Dilemma est: syllogismus cuius major conflat duabus partibus capientibus aduersarium quocunque modo respondeat: Sed de illis omnibus fusius agemus in sequentibus capitibus.



CAPVT IX.

De syllogismo simplici & imperfecto siue de inductione, exemplo & enthymemate.

INVENTIO & enthymema vocantur à Philosophis syllogismi cryptici siue occulti, quia forma syllogismi in ijs latet: ad eam tamē possunt reuocari: & quamuis forma syllogismi non reperiatur in illis explicitè, implicitè salem reperitur: pro exem-

plo sit hæc inductio Petrus est risibilis, Paulus est risibilis, Iacobus est risibilis, & omnes alij ergo omnis homo est risibilis. In qua argumentatione subintelligitur minor propositio (quæ est atqui omnis homo est Petrus vel Paulus vel Iacobus &c.) Ac si ita argueretur Petrus, Paulus, Iacobus, &c. Sunt risibiles; atqui omnis homo est Petrus vel Paulus vel Iacobus &c. Ergo omnis homo est risibilis. De enthymemate idem esto judicium.

Inductio est *syllogismus simplex imperfetus in quo fit transitus ab omnibus singularibus ad uniuersale collendum*: vt Petrus, Paulus, Ioannes, & omnes alij sunt animalia, Ergo omnis homo est animal ubi. Nota 1º. Hunc syllogismum dictum fuisse inductionem, quia per ea quæ sunt nobis magis sensibilia nos inducit ad credenda ea quæ nobis sunt aliquo modo occulta. Nota 2º. Ut legitima sit inductio, omnia singularia vel particularia debere enumerari, vel explicitè, vel implicitè.

Nota 3^o. Inductionem differre à syllogismo categorico, quia in syllogismo categorico procedimus ab uniuersali ad singulare, vel saltèm ad minus uniuersale: in inductione vero procedimus à singularibus ad uniuersale. In syllogismo categorico major terminus concluditur de minori per medium; in inductione vero major terminus concluditur de medio termino per minorem. Nolim tamèn medium terminum esse in conclusione inductionis, sed sensus est illum terminum, qui est medius terminus in syllogismo categorico, esse minorem terminum in ipsa inductione. Vnde non est mirum si subjiciatur in conclusione inductionis, verbi gratiâ, hic syllogismus est categoricus; omnis homo est risibilis, atqui Petrus, Paulus, Iacobus, &c. Sunt homines. Ergo Petrus, Paulus, Iacobus, &c. Sunt risibiles. Vbi homo qui est medius terminus in hoc syllogismo est minor terminus in inductione, & Petrus, Paulus, Iacobus, &c. Qui sunt minor

terminus in hoc syllogismo, sunt medius terminus in inductione: vt; Petrus, Paulus, Iacobus &c, sunt risibiles (atqui omnis homo est Petrus, Paulus, Iacobus &c.) Ergo omnis homo est risibilis. Nota 4°. Inductionem esse matrem scientiarum, & principiorum scientiæ originem.

Exemplum est *syllogismus imperfectus in quo fit transitus ab uno singulari ad aliud singulare colligendum*: vt Aristoteles est laudandus, Ergo & Plato. Vbi nota 1°. Exemplum esse syllogismum potius rhetoricum, quam Philosophicum, & non habere formam syllogisticam. Nota 2°. Exemplum non habere consequentiam necessariam ratione formæ, quia ex uno singulari non potest colligi aliud singulare. Aliquando tamen habet consequentiam necessariam ratione materiæ, vt Abrahamus fuit justificatus per fidem, Ergo & Paulus, quæ consequentia est necessaria, in illa materia necessaria, Deus enim omnes justificat uno & eodem modo. Nota

3º. Exemplum differre ab inductione in tribus: scil. *Antecedenti*: *consequenti* : & *consequentia*: Nam antecedens in exemplo est vnum singulare, in inductione vero sunt omnia singularia simul sumpta: consequens in exemplo est aliud singulare, consequens vero in inductione est aliquod vniuersale: exemplum habet consequentiam contingentem, induc^{tio} vero consequentiam habet necessariam.

Enthymema est *syllogismus simplex & imperfectus in quo reseruata in mente alterius praemissarum infertur conclusio ut.*

Petrus est homo

Ergo Petrus est animal.

Vbi nota 1º. Hunc syllogismum dici entyphema $\Delta\pi\tau\pi\tau\mu\epsilon\pi\tau$ id est in animo habere, vel retinere: quià scilicet qui vtitur entyphemate reseruat aliquam propositionem in mente.

Nota 2º. Quod si subjectum conclusionis sit in præmissâ quæ exprimitur, tunc illa præmissa est minor, & desideratur

major, si verò attributum conclusionis sit
in præmissâ, illa præmissa est major, &
desideratur minor, verbi gratia.

Petrus est rationalis

Ergo Petrus est homo.

In illo syllogismo desideratur major,
quia subjectum conclusionis est in præ-
missâ, sc. *Petrus* quæ si addatur fiet syllo-
gismus integer hoc modo.

omne rationale est homo

atqui Petrus est rationalis

Ergo Petrus est homo.

In hoc verò enthymemate desideratur
minor.

Omnis homo est animal

Ergo Petrus est animal.

Ibi desideratur minor, quia attributum
conclusionis, scilicet animal, est in præ-
missâ, quâ additâ fiet integer syllogismus.

Omnis homo est animal

Atqui Petrus est homo

Ergo Petrus est animal.

Nota 3^o. Et vltimò quod si neque sub-

jectum, neque a tributum conclusionis, sit
in præmissâ tunc etiam desideratur major,
quæ si addatur fiet syllogismus hypotheti-
cus vt.

Virtus est amanda

Ergo vitium est fugiendum.

Quæ argumentatio æquipoller huic, si
virtus est amanda, vitium est fugiendum,
atqui virtus est amanda, Ergo vitium est
fugiendum.



CAPVT X.

De syllogismo hypothetico.

CONSIDERATO syllogismo simplici,
considerandus sequitur syllogismus
compositus, & primò hypotheticus.

Syllogismus hypotheticus est ille qui
constat vel omnibus præmissis hypotheticis,
vel aliqua saltem præmissâ hypothetica; syl-
logismus hypotheticus est duplex, unus
pure hypotheticus, alter mixtus. Syllogis-

mus purè hypotheticus est : ille qui constat omnibus propositionibus hypotheticis ut.

Si est homo est animal,

Atqui si est rationalis est homo,

Ergo si est rationalis est animal.

Syllogismus hypotheticus mixtus est ille qui constat unā præmissarum tantum hypotheticā: ut si Petrus est homo, est animal; atqui Petrus est homo : ergo Petrus est animal. Vbi notabis conclusionem sequi conditionem minoris, non majoris: quod si major sit categorica, & minor hypothetica, cōclusio etiam est hypothetica: si verò major sit hypothetica, & minor categorica, conclusio erit etiam categoricavt.

Si Petrus est homo est animal,

Atqui Petrus est homo;

Ergo Petrus est animal.

Quare in aliquo syllogismo hypothetico conclusio non sequitur debiliorem partem, sed nobiliorem: in categorico verò conclusio sempèr sequitur debiliorem partem. Syllogismus hypotheticus, siue

purus siue mixtus est adhuc duplex unus,
qui fit per *transpositionem*, alter qui fit
per *assumptionem*.

Syllogismus hypotheticus qui fit per
transpositionem est *ille in quo nouus terminus non assumitur in minori, sed aliqua pars majoris scilicet, vel antecedens, vel consequens transponitur in locum minoris*. ut.

Si Sol lucet dies est

Atqui Sol lucet

Ergo dies est.

Hypotheticus per *assumptionem* est quando nouus terminus assumitur in minori qui non est in majori ut.

Si est homo est animal

Atqui Petrus est homo

Ergo Petrus est animal.

Syllogismus hypotheticus siue fiat per *transpositionem* siue per *assumptionem* procedit, vel a positione antecedentis ad positionem consequentis, vel ab euersione consequentis ad euersionem antecedentis: positio autem antecedentis est

quando antecedens (sive prior pars ma-
joris) tale retinetur in minori quale est in
majori, si affirmatum sit in majori, retine-
tur etiā affirmatum in minori: si verò si-
negatum in majori, retinetur etiā nega-
tum in minori : euersio verò consequen-
tis est quando non retinetur tale in mino-
ri, quale est in majori scilicet si est affirma-
tum in majori , negatur in minori : si verò
est negatum in majori , affirmatur in mi-
nori. Exemplum syllogismi qui procedit
à positione antecedentis sit iste.

Si est homo est rationalis

Atqui Petrus est homo

Ergo Petrus est rationalis.

Exemplum syllogismi qui procedit ab
euersione consequentis sit iste.

Si est homo , est rationalis

Atqui non est rationalis;

Ergo non est homo.

Hic autem nota 1º. omnem syllogis-
mum hypotheticum qui procedit à posi-
tione antecedentis ad positionem conse-

quentis esse in prima figurâ , syllogismum
verò qui procedit ab euersione conse-
quentis ad euersionem antecedentis esse
in secundâ figurâ , ut intuenti patet.

Nota 2º. Syllogismum hypotheticum
esse resoluendum in categoricum verbi
gratiâ: hic syllogismus , si est homo est
animal, atqui Petrus est homo , Ergo Pe-
trus est animal, qui in hunc resolui debet,
omnis homo est animal, atqui Petrus est
homo. Ergo Petrus est animal. Datur ta-
mèn syllogismus hypotheticalus qui non
potest resolui in categoricum , seruatis
ijsdem terminis ita ut nullus addatur vel
detrahatur, scilicet ille syllogismus cuius
medius terminus non est vñus simplex ter-
minus , sed est integra propositio: si enim
resolueretur in categoricum seruatis ijs-
dem terminis nullo addito , vel detracto:
tunc syllogismus categoricus constaret
quatuor terminis, ac proinde vitio labora-
ret: verbi gratia, hic syllogismus hypothe-
ticus non potest resolui in categoricum

retentis omnibus terminis , si virtus est amanda , vitium est fugiendum, atqui virtus est amanda , Ergo vitium est fugiendum , in quo hæc propositio (virtus est amanda ,) est medius terminus vnde ille syllogismus hypotheticus constat tribus tantum terminis: scilicet *nō fugiendum nō vitium* , & hac propositione , *virtus est amanda* tamquam medio termino: si vero resolueretur in categoricum , syllogismus ille categoricus constaret quatuor illis terminis scilicet *virtus , amanda , vitium , fugiendum* (quod non debet fieri .)

Nota 4°. In syllogismo hypothetico consequentiam valere à positione antecedentis , ad positionem consequentis : ut si est homo est animal , atqui est homo , Ergo est animal : & tunc syllogismus hypotheticus est in primâ figurâ : valet etiam consequentia ab euersione consequentis ad euersionem antecedentis : ut si est homo , est animal , atqui Petrus non est animal , ergo Petrus non est homo: & tunc syllo-

syllogismus hypotheticus est in secundâ figurâ, non valet verò consequentia a positione consequentis ad positionem antecedentis: ut si est homo est animal, atqui canis est animal, Ergo canis est homo: concludit enim hic syllogismus, ex duabus affirmantibus in secundâ figurâ, (quod non debet fieri ut suprà:) consequentia etiâmi non valet ab euersione antecedentis ad euersionem consequentis, ut si est homo est animal, atqui canis non est homo, ergo canis non est animal: tunc enim concludit ex minori negante in primâ figurâ, minor autem in primâ figurâ debet esse sempèr affirmans: duo priores modi quibus legitimè concluditur exprimuntur his formulîs, atqui verum prius ergo & posterius: atqui falsum posterius ergo & prius. Duo verò posteriores quibus male concluditur, concipiuntur his formulîs: atqui verum posterius, ergo & prius, acquisitum prius, ergo & posterius.

Nota 5^o. Aliquando benè concludi &

à positione consequentis ad positionem antecedentis, & ab euersione antecedentis ad euersionem consequentis: ut si est homo est rationalis, atqui Petrus est rationalis, ergo Petrus est homo: similiter si est homo est rationalis, atqui lapis non est homo, ergo lapis non est rationalis: sed hoc contingit ratione materiæ, & quia materia est necessaria, vel impossibilis.

Nota 6°. Et vltimò euersionem consequentis debere fieri per contradictionem in minori, non verò per contrarietatem: defectu hujus conditionis peccat sequens syllogismus, si omne animal est rationale omne brutum est rationale, atqui nullum brutum est rationale, ergo nullum animal est rationale. In hoc enim syllogismo minor contrariatur consequenti majoris non verò contradicit, quia vt contradicat consequenti in minori debet dici, atqui aliquod brutum non est rationale (tunc enim pugnat cum consequenti & ratione quantitatis, & ratione qualitatis,) vt in-

feratur hæc conclusio vera & contradic-
tia antecedenti majoris, ergo aliquod ani-
mal non est rationale.



CAPVT XI.

De syllogismo disiunctivo.

DE syllogismo conjunctivo aliquid
amplius non dicemus quia non est
maximi momenti, & quia sæpè æquipol-
let disiunctivo.

Syllogismus igitur disiunctivus est *syl-
logismus compositus qui constat ambabus præ-
missis disiunctiis, vel alterutra præmissarum
disiunctiā*: vt vel dies est, vel nox est, at-
qui est dies, ergo non est nox.

Nota autem 1º. Hunc syllogismum
concludere à positione vnius partis, ad
euersionein alterius, vel ab euersione
vnius partis ad positionem alterius: vndē
peccat hic syllogismus vel pluit, vel non

pluit, atqui pluit, ergo non pluit: quia
vtraque pars majoris ponitur, prior pars
ponitur in minori, & posterior ponitur in
conclusione. Nota 2°. Vnam partem ma-
joris debere poni in minori, ut alia pars
majoris euertatur in conclusione, vel
vnam partem majoris debere euerti in mi-
nori, ut alia pars majoris ponatur in con-
clusione. Vnde peccat hic syllogismus vel
homo vel brutum est irrationale, atqui
Petrus est homo vel brutum, ergo Petrus
est irrationalis: in hoc enim syllogismo
vtraque pars disiunctiva majoris, scilicet
vel homo, vel brutum, ponitur in minori,
cum alterutra tantum deberet poni. No-
ta 3°. Membra syllogismi disiunctivi de-
bere esse contraria immediata non verò
mediata: vnde non concludit hic syllo-
gismus vel lapis est albus vel niger atqui
non est albus, ergo est niger: potest enim
esse viridis: nam album & nigrum sunt
contraria inter quæ datur medium caue
tamen ne partes syllogismi disiunctivi sint

contradicentes, tunc enim miserè iretiris hoc pacto: vel sapis vel non sapis atqui sapis, ergo non sapis.



CAPVT XII.

De sorite.

SORITES dicitur Græcis ορθοπειρής id est coaceruator', quia coaceruat plures propositiones: sorites igitur est, *syllogismus compositus in quo attributum primæ propositionis fit subjectum sequentis, donec congregatis pluribus propositionibus attributum ultime dicatur de subjecto primæ*, ut.

Omnis homo est animal

Omne animal est sentiens

Omne sentiens est viuens

Ergo omnis homo est viuens.

Vbi nota 1°. Ut sorites sit legitimus debere dari connexionem necessariam inter terminos propositionum qualis connexionio

est inter speciem & ejus genus: speciem
& ejus differentiam specificam: definitum
& ejus definitionem: subjectum & ejus
proprietatem, &c. Vnde peccat hic so-
rtes, qui benè bibt benè dormit, qui
benè dormit, de peccato non cogitat, qui
de peccato non cogitat gratus est Deo,
ergo qui benè bibt, gratus est Deo; non
enim est necessaria connexio inter termi-
nos propositionum. Nota 2°. Cauendum
esse, ne aliqua propositio particularis ir-
repat inter vniuersales, vel negans inter
affirmantes tunc enim est vitiosus: ut om-
nis homo est animal, aliquod animal est
brutum, omne brutum est irrationalc, er-
go omnis homo est irrationalis: ita vitio-
sus est hic sorites, omnis homo est viuens,
nullum viuens est lapis, omnis lapis est in-
animatus, ergo omnis homo est inanima-
tus: Nota 3°. & vltimò formulam con-
cludendi in hoc syllogismo, concipi his
verbis, ergo à prima ad vltimum.

CAPVT XIII.

De syllogismo ab enumeratione partium & dilemmate.

SYLLOGISMVS ab enumeratione partium est *syllogismus compositus*, in quo enumeratis omnibus partibus, una retinetur, vel nulla retinetur, vñ.

Peribis, vel fame, vel peste, vel aliquo alio morbo, atqui non peribis, fame, vel peste, ergo alio morbo.

Vbi nota quod quando una pars retinetur rejectis alijs, tunc hic syllogismus dicatur concludere affirmatiuè: quando vero nulla retinetur, dicitur concludere negatiuè: & siue affirmatiuè, siue negatiuè concludat, modò enumeratae sint omnes partes legitimè concludit.

Dilemma est *syllogismus compositus*, cuius major duas habet partes capientes aduersarium quocumque modo respondeat: quale

est istud Christi ad Pharisæos.

Baptismus Ioannis an erat e cœlo vel ex hominibus.

Si dixissent e cœlo , cur Ioannis Baptismum non admisisti o Pharisæi : si dixissent ex hominibus incurrebant in odium populi , qui existimabat Baptismum Ioannis esse e cœlo , vim etiam hujus dilemmatis senserunt Pharisæi , idcirco obmutuerunt ad illud dilemma , hic autem.

Nota 1º. Vocabulum dilemmatis deduci ἀπὸ τῆς διαλεγένετος , id est utrinque capere , quia utrinque capit aduersarium vnde vocatur syllogismus cornutus , bicornis : quia duobus quasi cornibus ferit , & Græcis dicitur οἰκονόμος , id est anceps . Nota 2º. Partes dilemmatis debere esse immediate oppositas : & dilemma debere esse tale ut non possit retorqueri in suum artificem , vnde peccat hoc dilemma : vel uxorem duces formosam , vel deformem , si formosam habebis κούρημα , id est commu-

dem, si deformem habebis monum, id est
tibi poenam, ergo tibi non est ducenda
vxor, nam inter formosam & deformem
datur medium, sc: mulier temperata pul-
chritudinis quæ vocatur forma media:
deinde potest retorqueri hoc pacto, si
formosam ducam, non erit mihi poena,
si deformem non erit communis, ergo
ducenda est vxor.



CAPVT XIV.

*De diuisione syllogismi ratione materia & 1°. de
syllogismo demonstrativo.*

SUPRA in cap. 8°. Docuimus syllogis-
mum diuidi duobus modis scilicet
vel ratione qualitatis, vel ratione mate-
riæ: percurrimus hactenus omnes diuisio-
nes quæ fiunt ratione qualitatis, nunc ejus
diuisionem ratione materiæ considerabi-
mus: diuiditur igitur ratione materiæ in

demonstratiuum, dialecticum siue probabilem, & sophisticum.

Syllogismus igitur demonstratiuuus definitur à Philosopho lib. i. posteriorum Analyticorum capite secundo *syllogismus qui concludit ex veris, necessarijs, primis, immediatis, notioribus, & causis conclusiōnis: qualis est sequens.*

Omne rationale est risibile

Atqui omnis homo est rationalis

Ergo omnis homo est risibilis.

Vt benē intelligatur superior definitio, singulæ ejus partes sunt explicandæ, 1°. Dicitur *syllogismus* in hac parte conuenit cum cæteris syllogismis sc: cum syllogismo dialectico, & sophisticō, (de syllogismo autem suprà) 2°. Dicitur concludens *ex veris*, id est ex propositionibus veris: 3°. Additur *necessarijs*, id est ex propositionibus quarum attributum conuenit necessarij subjecto: vbi nota verum & necessarium distingui, nam omne necessarium est verum, sed omne verum non est necessaria-

rium, verbi gratia verum est me dictare
hac hora, sed tamèn non est necessarium,
quia possum dictare, vel non dictare: 4°.
Subjungitur, *primis* id est principijs, quæ
non habent principia priora per quæ pos-
sint demonstrari: 5°. Dicitur *immediatis*; id
est ex propositionibus quarum attributum
conuenit immediatè subjecto, qualis pro-
positio est ista, omne rationale est risibile,
nam intèr rationale & risibile, nullum est
medium, *subjecti*, vel *causæ*: 6°. Dicitur
notioribus, id est notioribus natura, no-
tiora autem natura sunt ea quæ sunt sim-
pliciora, *causæ*, & remotiora à sensibus:
7°. Additur *causis conclusionis*, quia præ-
missæ in demonstratione sunt causæ conclu-
sionis, sicut in alijs syllogismis: quæ om-
nia patent in prædicta demonstratione,
nam præmissæ sunt veræ: necessariæ tri-
plici necessitatis gradu quorum primus
dicitur *de omni*: secundus vocatur *per se*:
tertius dicitur *universaliter primum*: nam
attributum in præmissis superioris demon-

strationis dicitur de omni subjecto , conuenit etiam per se suo subjecto , vel primo modo per se id est essentialiter : ita rationale conuenit homini , vel secundo modo per se , id est tanquam ejus proprietas quarto modo , & ita risibile conuenit rationali , & homini ; atributum etiam conuenit subjecto vniuersaliter primum id est immediatè : sunt etiam primæ , nam hæ propositiones (omne rationale est risibile , omnis homo est rationalis) non habent principia priora , per quæ demonstrantur : sunt immediatae (vt supra vidimus :) sunt notiores natura , & causæ conclusionis , quia producunt conclusionem , & magis distant à sensibus quam ipsa conclusio .

Demonstratio est duplex , vna quæ dicitur *hōn* , siue *cur sit* : altera quæ vocatur *ōn* , siue *quod sit* : in priori effectus demonstratur de subjecto per suam causam necessariam , & immediatam ; qualis est ista , omne rationale est risibile , omnis homo est rationalis , ergo omnis homo est risibi-

lis: nam risibilitas, quæ est proprietas & effectus demonstratur de homine , per suam causam necessariam, sc: per rationale: dicitur autem demonstratio *cur sit*, quia ostendit cur proprietas conuenit suo subjecto : dicitur etiam demonstratio *a priori*: vocatur vero demonstratio *a priori*: quia demonstrat posterius scil. proprietatem de suo subjecto per prius scil. per causam formalem: & vocatur ab Aristotele συλλογισμὸς θεωρητικός, id est *syllogismus scientificus*: vel faciens scire , quia nobis acquiritur scientiam id est cognitionem certam & evidentem rei necessariæ per causam necessariam : in posteriori demonstratione causa demonstratur per effectum , vnde vocatur demonstratio *a posteriori*: ut omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est rationalis: hæc nominatur demonstratio *quod sit* quia ostendit quod res sit, sed non cur sit: dicitur etiam demonstratio *a posteriori* quia demonstrat prius scil. cau-

sam formalem de iubjecto per posterius
scili : per proprietatem , & haec non est
propriè dicta demonstratio idcirco supe-
rior definitio demonstrationis propriè
debet intelligi de sola demonstratione
cur sit.



CAPVT XV.

De syllogismo dialectico, vel probabili.

VIDIMVS quid sit demonstratio , &
quotuplex sit , nunc inquirendum
quid sit syllogismus dialecticus.

Syllogismus dialecticus est *syllogismus*
qui concludit, vel ex omnibus propositionibus
probabilibus, vel ex aliqua saltēm probabili.
quæ definitio colligitur ex Arist. lib. i.
Top. cap. 1º. Vbi docet syllogismum
dialecticum esse συλλογισμὸν ἐν τῷ ἀριθμῷ
συλλογισμῶν, id est *syllogismum concluden-*
tem ex probabilibus: probabilia autem sunt

propositiones quæ videntur probabiles vel omnibus hominibus, vel quibusdam sc: sapientibus: distinguitur igitur syllogismus dialecticus à demonstratione duplicitè, 1º. Ratione materiæ, 2º. Ratione effectus: ratione materiæ, quia materia dialectici sunt propositiones probabiles & contingentes: materia verò demonstrationis sunt propositiones necessariæ: medius terminus in syllogismo dialectico est inuentum probabile, vel contingens: in demonstratione verò est inuentum necessariū: loci autem in quibus inuenitur medius terminus vocantur loci topicæ qui definiuntur sedes argumentorum: ubi vocabulum argumenti sumitur non pro ipso syllogismo, sed pro medio syllogismi: diuiduntur verò in internos vel insitos: & externos, vel assumptos: loci interni sunt sedes e quibus educuntur media interna subiecto & attributo, questionis vel alterutri saltem: externi sunt sedes e quibus eruuntur media externa, subiecto, & attributo questionis.

Loci interni sunt loci à definitione, à genere, ab specie, à differentia essentiali &c. Externi sunt loci à definitione nominis, à conjugatis, à circonstantijs, à toto ad partes, à causa ad effectum, ab effectu ad causam, à proprio, & ab accidente communi &c.

Syllogismus dialecticus, differt etiam à demonstratione ratione effectus, quia dialecticus gignit opinionem, vel saltem cognitionem, quæ licet sit certa non tamen est scientia, demonstratio vero scientiam producit in intellectu.



CAPVT XVI.

De syllogismo sophistico.

SUPEREST syllogismus sophisticus nobis pertractandus, vbi sciendum est hunc syllogismum considerari à logica, per accidens, quatenus opponitur vero syllogismo opposita enim juxtaposita magis

magis clucent: sicut igitur Ethica agit non tantum de virtute, sed etiam de vicio per accidens & quatenus opponitur virtuti, similiter Logica explicat non tantum tyllogismos veros, sed etiam fallaces non ut fallamus alios, sed ne fallamur ab alijs vel a nobis ipsis.

Vox sophistici vel sophistæ deducitur a verbo *σοφίζειν*, id est sapientiam docere vel sapientem efficere: quia olim sophistæ non modo sapientes erant, sed etiam alios sapientes efficere conabantur: quia verò lapsu temporis qui sophistæ audiebant a virtute degenerarunt, & apparentem tantum sapientiam quæsivierunt, nomen sophistæ anteà honorificum factum fuit contumeliosum: ita ut hodiè sophista dicatur non ille qui est verè sapiens, sed sapientis est simia: sicut enim homo verè sapiens ignorantiam confitentes docet sapientiam: & pertinaces redarguit erroris: pariter sophista alijs sumos vendit pro sapientia, & alios fallaci syllogismo irretire conatur:



vnde sophista est ex Aristotele libri pri-
mi de Elenchis Sophisticis capite secundo
 $\chi\rho\mu\alpha\tau\iota\sigma\eta\varsigma \delta\pi\circ\ \sigma\varphi\iota\mu\epsilon\eta\varsigma\ \sigma\varphi\iota\alpha\varsigma\ \alpha\lambda'\ \varepsilon\kappa\delta\eta\varsigma$
id est qui lucrum querit ab apparenti sapien-
tia, sed non reali: uno verbo sophista non
est ille qui habet potentiam fallendi, sed
ille qui habet voluntatem fallendi ex Phi-
losopho libri primi Rheticorum cap. I.
 $\delta\ \eta\ \sigma\varphi\iota\mu\alpha\delta\varsigma\ \varepsilon\kappa\ \tau\eta\ \delta\mu\alpha\mu\iota\varsigma\ \alpha\lambda'\ \varepsilon\kappa\ \tau\mu\ \omega\varphi\iota\mu\pi\cdot$
sae id est *sophisticus* enim non est in facultate,
sed in præelectione: inde factum est ut Elen-
chus Sophisticus sumatur in malam par-
tem, sumituren im pro syllogismo qui vi-
detur contradicere Thesi nec reuera con-
tradicit, verus vero Elenchus definitur
ab Aristotele *syllogismus cum contradictio-*
ne conclusionis.

Elenchi Sophistici siue sophismata sunt
vel in dictionibus vel in rebus: sophisma-
ta in vocibus sunt sex scilicet *ab homony-*
mia, ab amphibologia, à compositione, à di-
uisione, ab accentu, & a figura dictionis:
sophismata in rebus sunt septem: scilicet

ab accidente: a dicto secundum quid ad dictum
simpliciter: & a dicto simplius ad dictum
secundum quid: ab ignoratione Elenchi: a con-
sequenti: a petitione principij: a non causa pro
causa: & a multis interrogacionibus.



CAPVT XVII.

De sophismatibus in dictionibus, vel
in vocibus.

SOPHISMA ab homonymia est illud
quod fallit ob ambiguitatem unius vocis
simplicis: quale est sequens omnis canis
habet facultatem latrandi, atqui sydus
coeleste est canis, ergo sydus coelestè ha-
bet facultatem latrandi: hic enim syllo-
gismus fallit ob ambiguitatem vocis *canis*
quæ in majori significat animal, in mino-
ri verò significat sydus: resolutur verò hoc
sophisma distinguendo terminum æqui-
vocum; ubi notabis 1º. Homonymiam

aliquandò latere in majori termino ali-
quando in minori, sèpè verò in medio
termino; notabis 2°. Ad hoc sophisma
reuoari debere hanc interrogationem
captiosam & similes: vel desijsti furari, vel
non desijsti? Si desijsti, anteà furatus es, si
non desijsti pergis adhuc furari vbi: ^{et} des-
sere significare potest vel anteà simpliciter
non fecisse, vel non facere amplius quod
fecimus anteà: in priori significatione ve-
ra est major, non verò in posteriori.

Sophisma ab amphibologia est illud
quod fallit ob ambiguitatem integræ proposi-
tionis: ut Domini non seruiunt atqui serui
sunt Domini, ergo serui non seruiunt: hic
enim syllogismus fallit ob ambiguitatem
hujus propositionis, serui sunt Domini,
vbi vox illa Domini est vel in genitivo sin-
gulari, & tunc vera est propositio: vel est
in nominativo plurali & tunc falsa est pro-
positio, vbi notabis 1°. Amphibologiam
distingui ab homonymia quia Amphibo-
logia est ambiguitas unius integræ propo-

sitionis, homonymia verò est ambiguitas
vnius termini simplicis, notabis 2º. Dia-
bolum hoc sophismate ut plurimum vti ad
homines decipiendos ita decepit Pyrrhum
Epirotarum Regem à quo consulebatur
de euentu belli contra Romanos, cui res-
pondit aio te Æacida Romanos vincere
posse: quorum verborum hanc dedit inter-
pretationem Pyrrhus ô Æacida aio fore ut
vincas Romanos, sed contrariam dedit
interpretationem exitus belli scilicet aio fore
ut Romani vincant te.

Sophisma à compositione est illud quod
fallit quia concludit quædam esse vera in sen-
su composito ex eo quod sint vera in sen-
su diuisio: ut hic canis est tuus, hic canis
est Pater, Ergo hic canis est Pater tuus:
hic syllogismus concludit hæc duo dici
compositè scilicet Pater & tuus ex eo quod
dicantur diuisim.

Sophisma à diuisione est illud quod fallit
concludens unam propositionem esse veram in
sensu diuisio ex eo quod sit vera in sensu com-

posito : ut Petrus est bonus Philosophus,
Ergo Petrus est bonus ; nam esse bonum
Philosophum conjunctim benè dicuntur
de Petro, non verò esse bonum vel Philo-
sophum diuisim : ad hoc sophisma reuo-
cari potest sequens : omnes planetæ sunt
septem , atqui Sol & Luna sunt planetæ,
Ergo Sol & Luna sunt septem : nam esse
septem dicitur de omnibus planetis con-
junctim sūptis, non verò diuisim sumptis.

Sophisma ab accentu est *illud quod fallit propter accentus diuersitatem* : vt qui lepo-
rem sequitur percurrit plurima loca, atqui
Petrus sedens juxtà ignem sequitur lepo-
rem, Ergo Petrus sedens juxtà ignem per-
currit plurima loca; hic enim syllogismus
fallit propter diuersitatem quantitatis pe-
nultimæ syllabæ quæ est in voce, *lepo*rem,
quæ in majori corripitur quia brevis est,
& significat animal : in minori verò pro-
ducitur quia longa , & denotat venusta-
tem : ubi notabis omnem syllogismum
qui fallit vel propter accentus diuersita-

tem, vel propter ejusdem accentus diuersum situm, vel propter diuersitatem spiritus lenis vel asperi &c. Ad hoc sophisma esse reducendum.

Sophisma à figura dictionis est, illud quod fallit propter terminationem similem duarum vocum: ut Musa est fœminini generis, Ergo Poëta est etiam fœminini generis: vice est actio, Ergo valere est actio.



CAPVT XVIII.

De sophismatibus in rebus.

PERLVSTRATIS sophismatibus quæ consistunt in vocibus, exutienda veniunt sophismata quæ latent in rebus, quorum primum est sophisma ab accidente.

Sophisma igitur ab accidente est, illud quod fallit quia supponit aliquid conuenire rei per se cui tamen conuenit per accidens tan-

tum: ut quod inebriat est reijciendum atque vinum inebriat, Ergo vinum est reijciendum , hic enim syllogismus fallit quia supponit inebriare conuenire per se vino, quod conuenit vino tantum per accidens hominis scil. intemperantis : ubi notabis ad hoc sophisma reuocari illos syllogismos qui fallunt propter transitum de genere in genus , qualis est iste: homo est species, atqui Petrus est homo, Ergo Petrus est species: qui syllogismus supponit esse speciem conuenire per se homini, cui conuenit per accidens tantum: si enim conueniret per se homini conueniret etiam Petro quia quidquid conuenit per se superiori conuenit etiam inferiori.

Sophisma à dicto secundum quid ad dictum simpliciter est; sophisma quod fallit quia ex eo quod aliquid sit secundum quid , concludit esse simpliciter : ut æthiops est albus secundum dentes, Ergo æthiops est albus, diuitiae sunt proijciendæ in mare ad vitandum naufragium, Ergo diuitiae sunt proijciendæ in mare.

Sophisma à dicto simpliciter ad dictum secundū quid est: *illud quod fallit quia concludit aliquid esse secundum quid ex eo quod sit simpliciter*: ut seruus debet obedire Dominō, Ergo debet obedire Domino furoso vel injusta præcipienti.

Sophisma ab ignoratione Elenchi est: *illud quod fallit quia videtur habere conclusionem contradicentem Thesi cui tamēn non contradicit*: ut quidquid manducatur in Eucharistia est realiter in Eucharistia, at qui corpus Christi manducatur realiter in Eucharistia, Ergo corpus Christi est realiter in Eucharistia; hæc conclusio scilicet corpus Christi est realiter in Eucharistia videtur contradicere nostræ Thesi non tamēn contradicit: quia Thesis nostra est *corpus Christi non est corporaliter in Eucharistia*: non verò est, *corpus Christi non est realiter in Eucharistia*: quare quoties argumentum non probat quod est probandum dicitur sophisma ab ignoratione Elenchi & Græcis dicitur *é topoçymoiç*, id est rei diuersæ disquisitio.


Sophisma à consequenti est illud quod fallit quia concludit vel ab euersione antecedentis ad euersiōnem consequentis vel à positione consequentis ad positionem antecedentis: ut si est homo est animal, atqui canis non est homo, Ergo canis non est animal, vel si est homo est animal, atqui canis est animal, Ergo canis est homo, sed hanc falaciā in suprà attigimus, vbi de syllogismo hypothetico.

Sophisma à petitione principij est: illud quod fallit quia supponit, vt concessum illud ipsum quod controuertitur: vt nulla scientia versatur circa ens rationis, atqui Logica versatur circa ens rationis, Ergo Logica non est scientia: hic enim syllogismus supponit majorem tanquam concessam quæ maximè controuertitur: & quæ prius incumbit probanda aduersarijs.

Sophisma à non causa pro causa est: illud quod fallit quia supponit unum esse causam per se alterius cuius est tantum causa per accidens: vt lectio scripturarum genuit hære-

fes, Ergo est fugienda, lectio enim scripturarum non est per se causa haereses, sed per accidens hominum qui scripturam abutuntur.

Sophisma à multis interrogationibus est: illud quod fallit quia proponit plures interrogaciones ut unicam: ut Petrus & lapis sunt ne animalia? Si respondeas affirmatiuè aduersarius concludit lapidem esse animal: si respondeas negatiuè colligit Petrum non esse animal, Ergo huic duplii interrogationi, duplii responsione satisfaciendum est, dicendo Petrum esse animal non verò lapidem, & hoc sophisma vocatur à Græcis πολυζήτησις, id est inquisitio plurium.





APPENDIX
VBI DE
DEFINITIONE,
DIVISIONE, ORDINE
ET METHODO.

CAPVT I.

De definitione.



N VESTIBVLO hujus Compendij diximus nos acturos in ultimo loco de quatuor his instrumentis Logicæ, nunc stan-
 tes promissis (volente Deo) agemus de defini-
 tione, diuisione, ordine, & methodo:
 definitio dicitur à Philosopho ὄπος, id est,
 terminus, ὄρισμός, id est, finitio sumpta

metaphora à limib⁹ agrorum : nam si-
cūt limites agrotum intrā se claudunt a-
gros , ita definitio complectitur omne de-
finitum , ut termini agrorum separant a-
gros alios ab alijs , ita definitio distinguit
definitum ab omni alia re quæ non est de-
finitum.

Definitio autem dicitur λόγος , siue ser-
mo explicans quid sit id quod definitur : Quiā
verò sermo est duplex vnuſ mentalis , alter
vocalis : duplex est etiā definitio vna
mental⁹ , altera vocalis : sed hīc vocalis de-
finitio considerari solet , quatenus scilicet
est signum definitionis mentalis (circa
quam per se Logica versatur :) Inde fit ut
definitio soleat definiri , oratio explicans
quid sit id quod definitur : (oratio autem est
vox :) definitio autem est duplex vna no-
minis , altera rei : definitio nominis est
oratio explicans quid sit nomen : qualis
est ista homo dicitur ab humo , defini-
tio rei est oratio explicans quid sit res : vel
naturam rei : & est duplex vna substantia

altera *accidentis*. Definitio substantiae est adhuc duplex una perfecta, altera imperfecta: perfecta est ea quae traditur per genus proximum, & differentiam specificam: qualis est ista definitio hominis, *animal rationale*. Imperfecta est, ea quae non traditur per genus proximum, & differentiam specificam: qualis est ista definitio hominis *animal risibile*: definitio accidentis est etiam duplex una perfecta siue *causalis*, altera imperfecta siue *formalis*: prior est ea quae assignatur per genus, subjectum & causam efficientem: qualis est haec definitio tonitru sonus in nubibus ob extinctum in ijs ignem: quae definitio docet, & quid sit & cur sit accidens. Definitio imperfecta, & formalis accidentis, est ea quae assignatur per genus, & per subjectum, sed non per causam: qualis est haec definitio tonitru sonus in nubibus, quae traditur per genus scilicet per tonum, per subjectum, scilicet per nubes & haec definitio docet quid sit accidens, sed non cur sit: ubi.

Nota 1º. Definitionem nominis malè confundi cum descriptione rei, nam descriptio docet quid sit res, vel qualis sit res: definitio verò nominis non explicat rem, sed nomen.

Nota 2º. Ut definitio sit perfecta plures conditiones requiri quæ pertinent vel ad ejus qualitatem: vel ad ejus quantitatem: vel ad ejus partes & partium ordinem: quæ pertinent ad ejus qualitatē sunt quinque: Prima, *definitio debet esse brevis*: id est, in definitione non debet esse plus vel minus quam necesse est. Secunda est, *definitio debet esse perspicua*: quia cum definitio sit explicatio definiti debet esse clarius ipso definito, ergo in definitione vitandæ sunt figuræ homonymia: voces inusitatæ &c. Tertia est *definitio debet reciprocari cum suo definito*: siue non debet esse latior, vel angustior suo definito: si enim esse latior, non conueniret soli definito, & si foret angustior non conueniret omni, omnis autem bona definitio conuenit omni & soli: Quarta

Definitio debet esse affirmata: (non dico affir-
mans) affirmata, id est constans terminis
positiuis, non vero negatiuis, quia
si constaret terminis negatiuis, non do-
ceret quid res sit, sed quid non sit: ali-
quando tamèn necessarium est adhibere
negationes in rebus definiendis, scilicet
in rebus perfectissimis, & in rebus imper-
fectissimis: in rebus perfectissimis quia
earum perfectio tanta est ut sit suprà om-
nem affirmationem vnde per negationem
definiendæ sunt, & ita Deus est definien-
*dus: vnde non male dicitur *data qualibet**
definitione Deum adhuc crescere: in rebus
imperfectissimis etiam definiendis adhi-
bendæ sunt negationes quia earum per-
fectio, adeo tenuis est aut nulla potius: ut
sit infrà omnem affirmationem, & ita de-
bent definiri materia prima, punctum &c.

Quinta definitio non debet esse conjuncta vel
disjuncta (non dico conjunctiva, vel di-
sjunctiva) conjuncta vel disjuncta, id est, in-
ter eis partes non debet esse copula con-
junctiva,

functiua, vel disfunctiua, verbi gratia non debet dici homo est *animal*, & *rationale*, nec etiam *animal*, vel *rationale*: ratio est quia oratio explicans vnam rem simplicem (qualis est definitio perfecta) debet esse una & simplex non composita: conditiones quae pertinent ad quantitatem definitionis sunt 1. *definitio non debet habere notam uniuersalitatis vel particularitatis sibi præfixam*: verbi gratia homo non debet definiri omne *animal rationale*, vel *aliquid animal rationale*, 2. *est non debet habere notam singularitatis sibi præfixam*: unde non debet dici homo est *hoc animal rationale*. Conditiones quae pertinent ad partes definitionis, & earum ordinem: sunt 1. *omnis bona definitio debet constare genere proximo & differentia specifica* 2. *est genus debet precedere in definitione, & differentia debet sequi*: quia pars quae restringit, qualis est differentia debet sequi eam quae restringitur, qualis est genus.

Nota 3°. Substantiam definiti sine ac-

cidente, quia est ens per se, accidens vero non potest definiri sine substantia, quia est ens in alio, sc: in substantia unde Philosophus lib. 6^o. Metaph. cap. 5^o. Habet haec verba μονις τὸ στοιχεῖον ὄπισθιος: id est, *solius substantiae est definitio* sc: independentis ab alio, nam definitio accidentis traditur per dependentiam à substantia, idcirco dicit accidens definiri καὶ τὸ πρόσθιον, id est cum additamento, sc: substantiae.

Nota 4^o. & ultimò imperfectionem definitionis esse duplicem sc: vel *necessariam* vel *arbitrariam*: necessaria est ea quæ non potest vitari à nobis. Imperfæctio necessaria definitionis oritur vel à rebus ipsis quæ non sunt capaces perfectæ definitionis, quales sunt *transcendentalia*: *summa genera*: *individua* &c. Vel oritur ab inopia vocabulorum: quia non habemus vocabula idonea ad exprimendas partes essentiales, sc: genus & differentiam: vnde sèpè ad exprimendum genus proximum

adhibemus genus remotum , & differen-
tiam quæ restringit genus remotum , vt
quando definimus Logicam scientiam pra-
etiam &c. Vel imperfectio illa necessaria
oritur ab ignorantia nostra sc : quia igno-
ramus differentiam specificam rei , vnde
in ejus locum substituimus proprietatem ,
vt in hac definitione canis , animal latrabile :
imperfectio arbitraria definitionis est ea
quæ potest vitari & est in definitione non
ob aliam causam nisi quia nobis ita placet
rem imperfectè definire , vt magis nos ac-
commodemus ad captum plebis , vel vt
fortius auditores moueamus &c.



CAPVT II.

De diuisione.

DIVISIO est secundum Logicæ
instrumentum , & est duplex vna
nominis : altera rei : diuisio nominis nikil

est aliud quam distinctio nominis in plures significaciones: qualis est ea qua dicimus nomen canis modò significare animal latrabile. Modò sydus, modò pisces. Sed hæc impropriè dicitur diuisio, melius dicitur distinctio, de hac etiam non agitur.


Diuisio rei (de qua agitur) est *distributio totius in partes*: & est duplex, una est diuisio totius per se, altera est diuisio totius per accidens: diuisio per se, est *distributio totius in partes, quæ per se insunt vel subsunt diuiso*: & est quadruplex sc: vel totius Logici, siue vniuersalis in partes Logicas qualis est diuisio animalis in hominem & brutum, in qua diuisione partes non sunt in diuiso, sed sub diuiso: nam species sunt sub genere, & indiuidua sub specie: idcirco in superiori definitione diximus partes inesse vel subesse diuiso: vel est diuisio totius Metaphysici siue essentialis, in partes Metaphysicas siue essentiales, qualis est diuisio essentiæ hominis in ani-

mal & rationale: vel est diuisio totius Physici in partes Physicas, qualis est diuisio Petri in corpus & animam: vel est diuisio totius integrantis in partes integrantes: qualis est diuisio corporis Petri in caput pedes &c. Totum autem integrans est duplex, vnum *homogeneum*, alterum *eterogeneum*: *homogeneum* est illud cuius partes sunt ejusdem nominis & ejusdem naturae cum toto: quale est aqua: *eterogeneum* est illud cuius partes sunt diuersi nominis & diuersae naturae cum toto: quale est corpus Petri, vnde datur diuisio totius integrantis homogenei in partes homogeneas, & eterogenei in partes eterogeneas.

Diuisio totius per accidens est etiam quadruplex, nam vel est *causa per effectus*: ut quando dico plantarum, aliæ nocent aliæ profundunt: vel est *effectus per causas*: ut quando dico, Petrus calefit, vel à sole vel ab igne: vel est *subjecti per adjuncta*: ut hominum alij sunt Medici, alij Iurisperiti, vel *adjuncti per subjecta*: ut alij sunt habitus mentis alij voluntatis.

Vbi obserua quinq; esse conditiones requisitas, ad constituendam legitimam diuisiōnēm : prima est *partes diuisiōnis debent esse paucissimæ*: ratio est quia , quò pauciores sunt eò magis apparet earum oppositio , & deinde facilius memoriæ mandantur : vbi sciendum est dari totum quod debet diuidi in duas partes tantum sc : totum Physicum , & totum Metaphysicum: totum verò Logicum, non semper debet diuidi in duas partes tantum : sed aliquando in plurimas est diuidendum : secunda est *partes diuisiōnis debent esse proximæ*: verbi gratia animal , debet diuidi in hominem & brutum , non verò in hominem canem &c. vnde fluxit inter Philosophos hoc prouerbium , *diuisio non debet saltare*: tertia est *partes diuisiōnis debent inter se dissentire , (sive differre) & consentire cum diuisio*: vnde peccant hæ diuisiones , corpus aliud est animatum, aliud viuens, nam animatum & viuens non differunt : syllogismus alias est vitiosus , alias legitimus,

nam syllogismus vitiosus non consentit cum diuiso, sc: cum syllogismo, cuius naturam non participat: est enim vitium syllogismi potius quam syllogismus. quarta est *quælibet pars diuisionis debet esse minor suo diuiso*: quia totum est semper majus sua parte, vnde male diuiditur animal in sentiens & rationale, nam sentiens tam latè patet quam animal: quinta & ultima est *omnes partes diuisionis simul sumptæ debent esse æquales diuiso*: ita ut neque magis, neque minus contineant quam diuisum, si enim aliquid magis continerent quam diuisum, diuisio redundaret in superfluiss, si verò minus continerent quam diuisum deficeret in necessarijs.



CAPVT III. ET VLTIMVM.

De ordine, & methodo.

ORDO noster postulat, vt tandem de ordine & methodo loquamur.

Ordo autem est *relatio prioris ad posterius*: & methodus est *ordo ex notis faciens notitiam ignororum*: quare methodus inuoluit *discursum à notis ad ignota*. Et est duplex vna *compositua*, altera *resolutua*: compotiuia est ea qua proceditur a causis & à prioribus natura, ad effecta & posteriora natura: qualis methodus est demonstratio cur sit & hac methodo procedunt scientiæ speculatiuæ. Methodus resolutua est ea qua proceditur ab effectis & posterioribus natura ad causas & priora natura, qualis methodus est demonstratio quod sit, & hac methodo tractantur scientiæ practicæ, differt verò methodus ab ordine, quia in omni ordine non fit discursus, fit vero discursus in omni methodo, vnde omnis methodus est ordo, sed omnis ordo non est methodus &c.

S O L I D E O G L O R I A.

F I N I S.

INDEX
 CAPITVM QVÆ
 CONTINENTVR
 IN HOC
 COMPENDIO
 LOGICÆ
 IN PRÆLVDIIS.

CAP I. <i>De nomine, definit. & fine</i>	
<i>Logicæ.</i>	<i>pag 7</i>
II. <i>de enterationis.</i>	12
III. <i>de secundis notionibus.</i>	15
 In prima parte.	

Cap. I. <i>Quid sit terminus simplex.</i>	pag. 19
II. <i>de ejus proprietatibus.</i>	23
III. <i>de vniuersalib.</i>	26
IV. <i>de genere.</i>	33
V. <i>de specie.</i>	38
VI. <i>de differentia.</i>	44
VII. <i>de proprio.</i>	47
VIII. <i>de accidente communi.</i>	50
IX. <i>de singulari.</i>	55
X. <i>de antepredicamentis.</i>	60
XI. <i>de predicamentis.</i>	69
XII. <i>de substantia.</i>	72
XIII. <i>de quantitate.</i>	76
XIV. <i>de qualitate.</i>	82
XV. <i>de relatione.</i>	87
XVI. <i>de actione passione.</i>	90
XVII. <i>de reliquis predica.</i>	93
XVIII. <i>de postpredicamentis.</i>	94

In secunda parte.

Cap. I. <i>de nomine.</i>	105
II. <i>de verbo.</i>	109

INDEX.

	235
Cap. III. de oratione.	110
IV. de enuntiatione.	112
V. quotplex sit.	116
VI. de ejus proprietatibus.	130
VII. de conuersione.	139
VIII. de equipollentia.	144

In tertia parte.

I. de argumentatione.	148
de materia syllogismi.	151
de figura syllogismi.	154
figura.	164
ura.	169
VI. de figura.	170
VII. de reduktione syllogismorum.	172
VIII. quotplex sit syllogismus.	176
IX. de syllogismo simplici.	181
X. de syllogismo hypothetico.	187
XI. de syllogismo disjunctivo.	195
XII. de sorite.	197
XIII. de syllogismo ab enumeratione partium, & dilemmate.	199

INDEX.

- Cap. XIV. *de diuisione syllogismi rationis
materiae.* pag. 201
- XV. *de syllogismo dialectico.* 206
- XVI. *de syllogismo sophistico.* 208
- XVII. *de sophismat. in dictiōnibus.* 211
- XVIII. *de sophismatibus in rebus.* 215

In appendice.

Cap. I. *de definitione.*

II. *de diuisione.*

III. *de ordine, & meth-*

FIN

